Index capitum Locorum quae in praesenti opere continentur:

16: De Sacramentis,
17: De Sancto Baptismo. } Huc ptinet 8: loc: Cat
18: De Sacra Coena
19: De Ecclesia. ref: huc loc: 9. Cat:
20: De Ministerio Ecctastico: Leg: in 5to loc: Cat: 3: precept: Decal.
21: De Ordine Politico: Vid: in 3: loc: Cat: 4: precep Decal.
22: De Conjugio: Leg: in 3: loc: Cat: 6: prc: Decal
23: De quatuor hois noviss: Vid: X: loc: Cat:

APHORISMI SUCCINCTI ET SELECTI, IN VIGINTI TRIBUS CAPITIbus, totius THEOLOGIÆ nucleum continentes:

AD USUM DISPUTATIONUM SCHOLASTICARUM ACcommodati & conscripti

à

JOHANNE GERHARDO THEOL. DOCTORE & Superintendente Heldburgensi.

CUM GRATIA ET PRIVILEGIO ELEctor. & Ducum Saxon.

JENÆ

TYPIS ET SUMTIBUS TOBIÆ Steinmanni, Anno

1611.

STRENUO, SPLENDORE GENERIS, ERUDITIONE,

autoritate ac virtutibus Nobilissimo viro,

Dn. BALTHASARI à Wangenheim Seniori, hereditario in grossen Behrungen/ꝛc. Fautori & Mecœnati suo plurimùm honorando.



EMINI DUBIum aut ignotum est, Vir Strenue, ac modis omnibus Nobilißime, Fautor & Mecœnas plurimùm honorande, ad partes Ministerij Ecclesiastici ritè obeundas, inter alia cumprimis etiam hoc

requiri, ut ὁ ἐπίσκοπος sit δυνατὸς non solùm παρακαλεῖν ἐν τῇ διδασκαλίᾳ ὑγιαινούσῃ, sed etiam τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν, docente Apostolo Tit. 1. v. 9. Quemadmodum n: urbis ac templi Hierosolymitani reparatores jussu Nehemiæ gladijs accincti stabant, unâ quidem manu laborem perficientes, alterâ verò clypeum ferentes, Nehem. 4. v. 17. Ita quoq; Ministri Ecclesiæ, qui spiritualem Dei domum extruere laborant, velut in perpetua acie stantes, non solùm sanâ doctrinâ ædificent, sed etiam cœlestis veritatis hostes gladio Spiritus repellant. Quemadmodum boni pastoris est, oves fidei suæ traditas non solùm ad salubria pascua deducere, sed etiam à luporum insidijs atq; incursibus defendere, ita eos quos gregi do-

gi Dominico Spiritus ſanctus præfecit Paſtores atq; Epiſcopos, decet non ſolùm ποιμαίνειν τὴν ἐκκλησίαν τοῦ θεοῦ Act. 20. v. 28. Sed etiam Pſeudoprophetas, qui ſunt λύκοι ἅρπαγες Matth. 7. v. 15. ab ovili Domini fortiter abigere. Quemadmodum duplex Medico finis eſt propoſitus, ſanitatem videlicet præſentem conſervare & deperditam reſtituere, Gal. 1. de ſanit. tuenda cap. 1. & alibi paſsim, Concil. diff. 3. Celſus lib. 5. cap. 26. unde duæ conſtituuntur Medicinæ principales partes, ὑγιεινὴ καὶ θεραπευτική: ita quoq; illis, quibus ſpiritualis animarum cura commiſſa eſt, convenit non ſolùm verâ & ſanâ doctrinâ auditores ſuæ fidei traditos informare, ſed etiam ab hæreſibus, quæ ſunt veluti peſtis & gan-

græna quædam 2. Tim. 2. v. 17. eosdem omni curâ præservare.

Debet igitur, dicit Augustinus 4. de doctr. Christ. cap. 4. divinarum Scripturarū tractator & Doctor, defensor rectæ fidei ac debellator erroris & bona docere & mala dedocere, atq; in hoc opere sermonis conciliare aversos, remissos erigere, nescientibus quid agatur, quid expectare debeant, intimare. Atq; eo potissimùm fine exercitia illa scholastica, quas Disputationes vocant, instituta sunt, quæ præterquam, quòd alios habent usus, atq; eos quidē longè maximos, discētiū insuper studia atq; animos formant, ut cœlestis doctrinæ adversarijs sese opponere, eosdemq; vi Spiritus cōvincere possint. Disputationes sunt quæ φιλαυτίας

ac

ac δοξοσοφίας morbo juveniles animos liberant. Disputationes sunt, quæ fidei πληροφορίαν in cordibus non mediocriter confirmant. Disputationes sunt, quæ ad obscuriorum Scripturæ locorũ enucleationẽ, φαινομένως sibi contradicentium conciliationem, & genuinam dubiorum explicationem lampadis instar viam nobis monstrant. Inde adeò à primis primitivæ Ecclesiæ temporibus in precio atque consuetudine eas fuisse apparet: Initiatæ autem sunt, & consecratæ à CHRISTO, qui anno ætatis duodecimo, ἐν τῷ ἱερῷ καθεζόμενον ἐν μέσῳ τῶν διδασκάλων καὶ ἤκουσεν αὐτῶν καὶ ἐπηρώτησε αὐτοὺς, Luc. 2. versicul. 47. Postea tempore ministerij sui sæpius instituit συζητήσεις cum Pharisæis &

Sadducæis, Marc. 8. v. 11. cap. 12. v. 28. In prima Apostolorum Synodo præcedente πολλῆς συζητήσεως *factum est, deinde decretum, Act. 15. v. 7. De Ecclesia sui temporis Augustinus testatur, quod in illa & lectum & disputatum olim fuerit Epist. 119. ad Januar. Extat disputatio Athanasii cum Ariano coram Probo judice instituta; versantur in manibus Augustini collationes cum Donatistis, & ut* συλλήβδην *dicam, nullus ferè veterum est, qui non adversus sui temporis hæreticos calamum strinxerit. Probare igitur per omnia non possumus, quod celebris nostri temporis Politicus lib. 4. de Repub. cap. 7. scribit, cùm semel constituta & omnium consensu firmata religio fuerit, ne posthac in*

dispu-

diſputationem deducatur, cavendum eſt, ut omnes ſeditionum viæ, omnes aditus intercludantur, & præſidia pacis muniantur. Quarumcunq; enim rerum diſputationes in utramq; partem ſeruntur, earum probabilis eſt ac dubia ratio. Quid autem ab impietate propiùs abeſt, quàm leges divinas, quarum ſempiterna ſit natura & quæ omnium animis ac mentibus aſſenſione certiſſimâ hærere debeant, probabilibus argumentis in dubium revocare? &c. Quæ dementia eſt immotam religionis veritatem publicis diſputationibus ingeniorum ferocium & ſtreperæ rationis protervitati exponere? &c. Hæc inquam probare & noſtro calculo per omnia confirmare non poſſumus, multò

minus illud, quod alius in Aphorismis Aulicopoliticis Aphor. 289. scribit, Aulicus autor sit Principi, ne Disputationes publicas & altercationes frequentes in causa religionis permittat, id quod tum Orientis, tum Africæ populi, ipsiq; Hispanorum Reges optimè perspicientes de religionibus disserere severè prohibitum voluerunt. Hæc ille. Fatemur sanè ex Disputationibus de Religione animorum distractiones, simultates, quandoque etiam aperta dissidia oriri, id verò ex accidenti demum contingit, & pessimè hominum veritati adversantium libidini ferendum est acceptum. Maledicta sit omnis concordia, quæ contra CHRISTUM *& contra veritatem instituitur,*

siqui-

siquidem non tàm concordia, quàm fœdissima conspiratio est dicenda. Quamvis verò non solùm velitatoriæ istæ in scholis Disputationes, sed etiam seriæ cum adversarijs cœlestis doctrinæ concertationes suos habeant usus, sua commoda cum necessitate etiam quadam conjuncta, negari tamen nequit, idem hîc contingere, quod in alijs ejusmodi rebus evenire consuevit, nimirum rei per se bonæ abusum esse pessimum, tantò plerunq; pejorem, quo res in sese melior. Multi enim apicem quasi Theosophiæ in disputando constitutum censent, serio sinceræ pietatis studio & accuratiore interioris hominis cultura interim posthabita. Pleriq; malunt disputare quam

vive-

vivere, dicebat olim discipuli pessimi Præceptor optimus; eodem modo etiam hoc loco conqueri possumus, Multi Christum quærere malunt disputando, quàm vitam ipsius imitando, cùm tamen præstet Christum vivere, quàm digladiando quærere, ut loquitur autor præfationis in D. Bernhardum. Denuò autem repeto, neutiquam ipsas vel Scholasticas vel Ecclesiasticas disputationes improbari, sed veræ ac seriæ pietatis neglectum, quod suo se quidam satis functos officio arbitrentur, si strenuos suâ opinione sese præstent doctrinæ cœlestis propugnatores, atq; interim ad Christi vitam imitandam, eandemq; hominibus suæ fidei commissis instillandam segnes sint atq; remissi. Cùm tamen docente

Gerso-

Gerſone lib. 4. de conſolat. Theol. proſa 4. Theologus ſit vir bonus, in ſacris literis eruditus, non quidem eruditione ſolius intellectus, ſed multò magis affectus, ut ea, quæ per Theologiam intelligit, traducat per jugem ruminationem in affectum cordis, & executionem operis. Quis enim Christum in illo corde habitare credat, quod ambitione flagrat, odijs ardet, invidiâ contabeſcit? Quis cor iſtud verâ fide purificatum dixerit, quod avaritiæ & voluptatum ſordibus totum adhuc eſt contaminatum? Notitiam literæ concedere illi poſſumus, ſed notitiam Spiritus ei planè denegamus. Diſcite à me, inquit Christus (non ſolùm quod ſermo meus ſit veritas, Joh. 17. v. 17. ſed etiam) quod ſim mitis &

huma-

humiliscorde, Matth. 11. v. 29. Ego sum via, veritas & vita, dicit Johan. 14. v. 6. Vita ratione meriti, quod verâ fide amplectendum; veritas ratione doctrinæ, quæ fideli corde apprehendenda; via ratione vitæ, quæ serio studio est imitanda. Qui doctrinam tantùm Christi, non etiam vitam ipsius prædicat, dimidia tantùm ex parte Christum prædicat. Confiteris, te nosse Deum, sed factis negas. Non rectè planè sed impiè linguam Christo, animam dedisti Diabolo, ait Bernhardus serm. 24. sup. Cant. Col. 565. Refellantur igitur adversarij, & acriter refellantur Disputationibus, lectionibus, concionibus, interim etiam modestiæ, mãsuetudinis & caritatis, quas Christus suo nos docuit exemplo, ratio

tio habeatur. Nec improbo sobriam & moderatã vehementiã, in loco adhibitam, quam Aug. ab Evodio suo usurpatã Epist. 147. ad Proculian. ita explicat: si quid in disputando pro fide sua & pro Ecclesiæ caritate dixit fortaßè ferventius, quàm tua gravitas nollet audire, non illa contumacia, sed fiducia nominanda est. Collatorem enim & disputatorem non assentatorem & adulatorem se esse cupiebat. Interim tamen ministerium justæ correptionis non convertatur in arma furoris, quâ de re sic præcipit Augustinus Epist. 174. ad Pascentium. Cum divinis Scripturis, quantum possumus, colloquamur, sine contentione pacati, non inani ac puerili animositate studentes alterutrum vincere, ut pax

Christi potiùs vincat in cordibus nostris. Qui de seipso scribit lib. 3. contra literas Petiliani c. 1. Ego quando cuiquam vel dicendo vel scribendo respondeo, etiam contumeliosis criminationibus lacessitus, quantùm mihi dominus donat, frenatis atq; coërcitis vanæ indignationis aculeis, auditori lectorivè consulens, non ago, ut efficiar homini conviciando superior, sed errores convincendo salubrior. Absit igitur ut in religiosa ac sacra disputatione ad scommata & convitia politica procedatur. Hîc enim locum habet illud apud Comicum græcum: ἔλεγχε, ἐλέγχου· λοιδορεῖσθαι δ' οὐ πρέπει ἄνδρας ποιητὰς *(vates sacros)* ὥσπερ ἀρτοπώλιδας. *Adsit pium veritatis studium, propter quam* δεῖ καὶ τὰ οἰκεῖα ἀναιρεῖν *monente*

nente Philoſopho 1. Eth. ad Niçomac.
incorruptum a nullo, judiciũ
c. 4. adhibeatur ἀκίϐδηλον μηδενὶ πϱο-
κϱίματι faſcinatum judicium, melius
æſtimetur vinci à vera dicente,
quàm vincere mentientem, ut docet
Xiſtus in Enchiridio morali ref. vit.
Philoſ. cap. 110. (At illud παλινῳδεῖν
quando hodiè auditur?) vocentur
ea tantùm ſub incudem Diſputatio-
num, quæ ſcitu ſunt utilia, neceſſa-
ria, ac in Scripturis definita. Quid
enim opus eſt, ut ea affirmentur vel
negentur, vel definiantur cum diſ-
crimine, quæ ſine crimine neſciun-
tur, Auguſtin. in Enchirid. ad Lau-
rentium cap. 59. Melius eſt dubita-
re de occultis, quàm litigare de in-
certis. Idem lib. 8. de Geneſ. ad lit.
cap. 5. Quæ Deus occulta voluit,
non ſunt ſcrutanda: quæ autem ma-

nifesta fecit, non sunt neganda: ne in illis licitè curiosi, in istis damnabiliter inveniamur ingrati. Ambrosius de vocat. gent. cap. 7. Proinde, ubi de re obscurissima disputatur, non adjuvantibus divinarum Scripturarum certis, clarisq; documentis, cobibere se debet humana præsumtio. Augustinus de peccat. merit. lib. 2. cap. ult. (quod utinam observatum fuisset à Scholasticis, atq; adhuc observaretur ab illis, qui subtiles & inutiles Scholasticorum Disputationes ipsorum quasi postliminiò in Ecclesias & Scholas introducere satagunt, de quibus videatur Erasmus in Compend. Theolog. pag 34. Et in annotat. 1. Tim. 1.) sanctè de rebus sanctis disputetur, non quasi in homi-

num

num theatro, sed coram Deo & sanctis Angelis, adeoq; in medio totius Ecclesiæ consessu, idq; non contentionis sed veritatis studio. Hæ & similes conditiones si observentur, disputationes illum obtinebunt finem, ob quem primitùs sunt institutæ, ac dum demum locum habebit illud Augustini lib. de nat. & grat. c. 20. O frater bonum est, ut memineris, te esse Christianum, credere ista fortaßè suffecerit, sed tamen, quia disputare vis, nec obest, imò etiam prodest, si firmißima præcedat fides &c. Sin verò neglectis precibus, prætermisso pietatis studio, ac posthabito Dei timore disputetur, eveniet illud, quod ejusdem libri cap. 25 habetur: Procliviores sumus quærere, quid contra ea respon-

deamus, quæ nostro objiciuntur errori, quàm intẽdere, quã sint salubria, ut careamus errore, unde cum istis (adversarijs) non tàm Disputationibus, quam pro eis sicut pro nobis Orationibus est agendum. Quo sensu etiam accipiendum Sisinnij consilium Nectario Constantinopoleos Episcopo datum apud Socratem lib. 5. Histor. Ecclesiast. c. 10. ut ad compescendam hæreticorum audaciam, concertationes Dialecticas vitaret, testesq; adhiberet formulas fidei à veteribus editas, eò, quòd dissidijs schismata non componerentur, sed pugnatiores etiam evaderent adversarij. Tollatur igitur abusus, vero ac salutari Disputationum usu sarto tecto permanente. Sectemur cum pietate veri-

ritatem & cum veritate pietatem, cùm universa Theologia, definiente Apostolo ad Tit. 1. vers. 1. sit
agnitio veritatis quæ est juxta pietatem
ἐπίγνωσις ἀληθείας τῆς κατ' εὐσέβειαν.
Quo fine etiam Aphorismos hosce Theologicos conscripsi, ut piæ ac placidæ
disputationis
συζητήσεως materiam suppeditarent. Eos Vir Strenue ac modis omnibus Nobilißime, T. St. debitâ cum observantia inscribere volui, nullus dubitans, eorum lectionem ipsi fore haud omninò ingratam. Siquidem omnium ore deprædicatur quotidianum illud ac perpetuum studium, quod St. T. pervolvendis Theologorum Scriptis, cumprimis verò sacris literis summâ cum laude impendit. Longißimè enim abest à perversa illorum opinione, qui existimant, hæc

studia viros genere Nobiles dedecere: Contrà verò nobilissimo suo generi nobilissimum esse ducit discere ea in terris, quorum scientia perseverat in cœlis, atq; eam demum esse veram & sanctam nobilitatem, quæ virtutibus (& pietatis studijs) inclarescit, ut loquitur Hieronymus ad Celanciam. Inde adeò tàm exactam & omnium non solùm prædicatione, sed & admiratione dignam Theologiæ cognitionem Str. T. sibi comparavit, ut hominem professione Theologum te audire existimet, qui eam de rebus sacris disserentem audit, quod Coburgi mihi contigisse non sine delectatione recordor. Neq; verò hæc est nuda & ignava quasi rerum sacrarum cognitio, sed cum vero ac sincero pietatis & omnium


Chri-

Christianarum virtutum studio cõjuncta, ut de St. T. non immeritò usurpari possit illud Pindaricum, quòd flores decerpserit ex omnibus virtutibus. Suscipe igitur, Vir Strenue ac modis omnibus nobilissime, exiguas hasce quas offero chartulas, meq́; eâ, quâ cœpisti benevolentiâ, in posterum cõplecti perge. Quamvis præter vota & preces à mea tenuitate nihil expectare possis. Dabantur Heldburgi Calendis Aprilis Anno 1611.

St. T.

colens

JOHANNES GERHARD D.



I. ΥΠΟΤΥΠΩΣΙΣ LOCORUM THEOLOGICORUM, seriem & connexionem eorum ostendens.

I.

PRINCIPIUM THEOLOGIÆ unicum et domesticum μονον και οικειον est DEI verbum.

2. Prodiit enim DEUS ex arcana majestatis suæ sede, seq; in verbo hominibus manifestavit.

3. Multis vicibus multisq; modis Πολυμερως και πολυτροπως olim locutus est Patribus per Prophetas, novissimè locutus est hominibus per Filium (& Apostolos) Hebr. 1. v. 1.

4. Verbum illud DEI Prophetæ & Apostoli primum vivâ voce annunciârunt, postea summa & necessaria

divinæ revelationis capita DEI voluntate in Scripturas redegerunt. Iren. lib. 3. cap. 1.

5. Proinde indubitatum DEI verbum non nisi in Propheticis & Apostolicis Scriptis hodie inveniri potest.

6. Ex hoc DEI verbo promanat & circa illud occupata est Theologia, τὰ τοῦ θεοῦ λόγια proponens. Rom. 3. v. 2.

7. Est ergò ex vi nominis λόγος περὶ τοῦ θεοῦ, doctrina de DEO.

8. De cujus essentia & voluntate homines erudit ad ipsorum salutem.

9. Hæc enim est vita æterna, ut agnoscamus verum DEUM, & Mediatorem Christum in carnem missum, Johan. 17. v. 3.

10. Doctrinam de essentia divina absolvit quæstio, Quis sit DEUS? videlicet Jehova Elohim, unus in essentia, trinus in personis.

11. DEUS enim sese sic manifestavit, quòd in divina essentia una & in-

divisa

divisa sint tres personæ, nec plures, nec pauciores, videlicet Pater, Filius & Spiritus sanctus.

12. Pater est prima persona non factus, nec creatus, nec genitus, nec procedens, ἀγένητος καὶ ἀγέννητος.

13. Filius est secunda persona, non factus, nec creatus, sed ab æterno â Patre genitus.

14. Idem in plenitudine temporis assumsit humanam Naturam, in qua & per quam precium redemtionis nostræ persolvit.

15. Spiritus sanctus est tertia persona, non factus, nec creatus, nec genitus, sed ab æterno à Patre & filio procedens.

16. Voluntas Dei æstimanda ex ipsius decretis ab æterno factis.

17. Eorũ præcipua duo sunt: Decretũ Creationis & Reparationis, κτίσεως καὶ ἀνακτίσεως, πλάσεως καὶ ἀναπλάσεως.

18. Qualia fuerint illa decreta, exe-

cutio in tempore ostendit.

19. Quod enim & quomodo Deus in tempore agit, illud & eo modo agere ab æterno decrevit.

20. Cujus pronunciati ratio pendet à divinæ voluntatis immutabilitate.

21. Creatio in tempore facta est decreti de condenda rerum Universitate ab æterno facti manifestatio.

22. Estq; Angelorum, hominum, & reliquarum creaturarum sex primis mundi diebus à DEO Patre, per Filium, in Spiritu sancto ad sui gloriam productio.

23. Angelorum pars magna à Deo defecit; reliqui in bonitate confirmati Deum celebrant, hominibus inserviunt.

24. Primi duo homines itidem legem divinam cordibus insculptam, & voce divinâ promulgatam impulsu Satanæ sunt transgressi.

25. Sic

25. Sic ergo per lapſum iſtum imago Dei in illis obliterata, & Natura ipſorum peccato eſt corrupta.

26. Proinde poſteri ipſorum nati ſunt & naſcuntur juſtitiâ originali deſtituti, & peccato miſerè corrupti.

27. Iſto peccati contagio omnes animæ vires in homine ita ſunt corruptæ, ut tenue rationis lumen & exiguæ voluntatis vires circa res externas manſerint.

28. Lapſus hic protoplaſtôn omniſcium Deum latere non potuit, ideò ex immenſa miſericordia propter Filii interceſſionem de reparatione hominum ab æterno decretum fecit.

29. Quod quale fuerit, itidem executio hujus decreti oſtendit; miſit in tempore Filium Redemtorem & Mediatorem, eum ergo mittere ab æterno decrevit.

30. Beneficia Mediatoris per verbum omnibus offert, & credentibus

applicat, ergò per verbum ea omnibus offerre, & credentibus applicare ab æterno constituit.

31. Hoc decretum in Scripturis dicitur Electio & Prædestinatio, de qua non nisi à posteriori, hoc est, ex manifestatione ejus judicandum.

32. Animadvertimus in executione hujus decreti, quod Deus homini reparando proposuerit Verbum & Sacramenta.

33. Verbum revocatur ad duo summa capita, Legis & Evangelii.

34. Lex est doctrina operum, manifestat ergò Naturæ corruptionem, terret, & præscribit benè agendi normam.

35. Evangelium est doctrina fidei, Christum Mediatorem, qui pro peccatis satisfecit, monstrans & conscientiam hominis erigens.

36. Praxis Legis & Evangelii consistit in vera pœnitentia.

57. Cu-

37. Cujus ob id partes duæ ſunt: Contritio, quæ ex Lege, & Fides, quæ eſt ex Evangelio.

38. Fides apprehendit Chriſti juſtitiam in verbo Evangelii oblatam, per quam homo Legis voce priùs contritus, coram Deo juſtificatur, & accepto ſimul Spiritu ſancto incipit renovari.

39. Fide enim purificantur corda. Act. 15. v. 9.

40. Proinde fructus veræ pœnitentiæ ſunt bona opera.

41. Siquidem fides per caritatem efficax eſt, Gal. 5. v. 6. & Chriſtus non ſolùm juſtitiam ſuam, ſed & Spiritum ſanctum nobis donat, qui Naturam noſtram incipit renovare, & carnis concupiſcentias refrenare.

42. Bonorum operum claſſes tres ſunt, quędam enim reſpiciunt Deum, quædam nos ipſos, quædam proximum.

43. Summa enim pietatis hæc eſt,

ut εὐσεβῶς, δικαίως καὶ σωφρόνως vivamus. Tit. 2. v. 12.

44. Sacramenta ſunt verbi ſignacula, fidei confirmandæ ergò inſtituta; ſunt verbum viſibile.

45. Talia in V. T. ſunt Circumciſio & Agnus Paſchalis; in Novo Baptiſmus & Cœna Domini.

46. Per verbum illud tum ἀκουστὸν, tum ὁρατὸν colligitur Deo in his terris Eccleſia.

47. Cujus ſunt tres hierarchiæ: Eccleſiaſtica, Politica, & Oeconomica.

48. Eccleſiaſticæ hierarchiæ Monarcha & Caput vult eſſe Papa Romanus.

49. Sed cum abſq; divina ordinatione velit eſſe ἀντιχρίστου, inde fit Antichriſtus.

50. Miniſterium verbi ſive hierarchia Eccleſiaſtica conſtituitur hodie per vocationem mediatam.

51. Politica hierarchia complectitur

tur

tur Magiſtratus tàm inferiores quàm ſuperiores.


52. Ad Oeconomicam hierarchiam pertinet Conjugium, quod eſt Eccleſiæ quaſi quoddam ſeminarium.

53. Eccleſiam ſuam Deus in hac vita ſubjicit cruci, cujus rei cauſas habet longè urgentiſſimas.

54. Tandem autem in futura vita eam glorificabit ab omnibus hoſtibus, malis & periculis liberatam atq; liberam.

55. Mors & judicium extremum abſq; ullo intermedio purgatorio piis & credentibus eſt aditus ad vitam æternam.

56. Impii autem & increduli olim abjicientur in inferni ignem inextinguibilem.



II. APHORISMI THEOLOGICI DE SACRA SCRIPTURA.

1. UNicum Theologię principium eſt Dei verbum in Scripturę ſacræ monumentis hodie propoſitum.

2. Nomine Scripturæ ſacræ propriè & ſtrictè accepto intelligimus V. & N. T. libros indubitatò Propheticos & Apoſtolicos.

3. Qui etiam dicuntur Canonici, cum ſint canon & regula pleniſſima divinæ agnitionis & cultus.

4. Tales in V. T. ſunt: Geneſis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, liber Joſuæ, Judicum, Ruth, duo libri Samuelis, duo Regum, duo Paralipomenon, Esdras, Nehemias, Eſther, Job, Pſalmi, Proverbia, Eccleſiaſtes, Canticum Canticorum, Eſaias, Jeremias cum Threnis, Ezezhiel, Daniel, Oſeas, Joël, Amos, Oba-

Obadias, Jonas, Micheas, Nahum, Habacuc, Zephanias, Haggæus, Zacharias, Malachias.

5. Reliqui V. T. libri ſunt Eccleſiaſtici, (Hieronymo dicuntur Apocryphi) qui nec à Prophetis ſcripti, nec ab Eccleſia Judaica ꝓ Canonicis habiti.

6. Deſtituuntur etiam Chriſti & Apoſtolorum teſtimonio:

7. Quin etiam à probatiſſimis Conciliis & Patribus ἔξω τοῦ κανόνος eſſe ſtatuuntur.

8. Adde, quod in pleriſq; ipſorum oſtendi talia poſſint, quæ vel exploratò Canonicis repugnant, vel in veritatem Hiſtoricam & Chronologicam impingunt, vel ſibiipſis contradicunt.

9. Canonici N. T. dicuntur, qui ab omnibus Eccleſiis ſine ulla dubitatione pro verè & certò Apoſtolicis ſemper ſunt recepti.

10. Tales ſunt; Evangelium Matthæi,

thæi, Marci, Lucæ, Johannis; Acta Apostolorum; Epistola Pauli ad Romanos, duæ ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, duæ ad Thessalonicenses, duæ ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, prima Petri, prima Johannis.

11. Reliqui non fuerunt tam consentienti suffragio olim ab omnibus recepti, quo respectu dicuntur à quibusdam Apocryphi.

12. Tales sunt: Epistola ad Hebræos, Jacobi una, Petri secunda, Johannis secunda & tertia, Judæ una, Apocalypsis Johannis.

13. Sed cum pleriq; veterum non tàm de autore eorum primario scilicet Spiritu sancto, quàm de autoribus secundariis dubitaverint, ideò quoad probandi autoritatem libenter patimur eos Canonicis exæquari, neq; hac de re cum quoquam pugnabimus.

14. Scri-

14. Scriptura illa ſacra eſt θεόπνευ-
ϛ☉ 2. Tim. 3. v. 16. ideò ſancti Dei homines non ſolùm locuti ſunt impulſu Spiritus ſancti, 2. Petri 3. v. 21. ſed etiam ſcripſerunt.

15. Idem Dei verbum, quod vivâ voce ſine Scriptura in V. T. diutiſſimè, in N. T. non ita longo tempore annunciatum ac conſervatum, idem inquam poſtea per Dei voluntatem in Scripturas eſt redactum. Iren. lib. 3. cap. 1.

16. Proinde diſcrimen aliquod reale inter verbum Dei prædicatum & verbum ſcriptum non patimur conſtitui.

17. Accidit enim verbo Dei, ut vel prædicetur vel ſcribatur.

18. Quamvis verò Prophetæ & Apoſtoli φερόμενοι à Spiritu ſancto non integras ſuas conciones conſcripſerint: tamen ab iis electa ſunt quæ ſcriberentur, quæ ſaluti credentium ſufficere

ficere visa sunt. August. tract. 49. in Johan.

19. Ideoq; sacram Scripturam dicimus esse perfectam, id est, continere ea omnia, quæ ad fidei instructionem & vitæ informationem ad propositum vitæ æternæ brabeum contendentibus necessaria sunt.

20. Perfectionis hujus evidens testimonium proponitur 2. Tim 3. v. 16. & 17. ubi Scriptura sacra ita utilis ad διδασκαλίαν, ad ἔλεγχον, ad ἐπανόρθωσιν, & ad παιδείαν dicitur, ut perfectus sit Homo Dei ad omne opus bonum instructus, ideoq; etiam Scriptura potest nos σοφίσαι sapientes reddere ad salutem.

21. Cùm ergò utilitas, quæ cum relatione ad indigentiam accipitur duplex sit: adæquata & totalis seu sufficiens, omnem indigentiam auferens; & partialis, quæ non sola, sed cum aliis administris indigentiam tollit, mani-

festum

festum est de priori utilitatis specie Apostolum loqui.

22. Ex illis, quæ scripta sunt, possumus discere fidem in Christum, Joh. 20. v. ult. ad omne bonum op⁹ instrui, 2. Tim. 3. v. 17. & poterant divitis epulonis fratres Mosen & Prophetas audiendo (utiq; in Scripturis) gehennæ cruciatus effugere, Luc. 16. v. 29.

23. Ex quo talis Scripturæ perfectio, qualem ei assignamus, spontè sequitur: Qui enim credit in Christum, qui ad omne bonum opus instruitur, & vitæ æternæ fit particeps, quid ultra desiderabit.

24. Considerandum etiam hoc argumentum, Apostolus Paulus annunciavit Ecclesiæ Ephesinæ omne Dei consilium, scil. de salute nostra, Act. 20. v. 27. Idem Apostolus nihil dixit extra Mosen & Prophetas, Act. 26. v. 22. Ergò in Mose & Prophetis omne consilium Dei de salute nostra continetur.

25. Quod

25. Quod si perfecta est Scriptura, valeant ergò traditiones, quæ præter Scripturam eodem pietatis affectu & fide suscipiendæ obtruduntur.

26. Sunt enim dubiæ fidei, sunt quandoq; inter se contrariæ, sunt corruptelis veritatis obnoxiæ vel maximè.

27. Testatur Ecclesiastica Historia, quòd in primitiva Ecclęsia sub nomine Apostolicarum traditionum falsa sint conficta, quodq́; opinio traditionis magnis etiam viris olim imposuerit.

28. Porrò cùm ab ipso Deo Scriptura sacra hoc fine sit hominibus proposita, ut ex ea ęrudiantur ad salutem, inde concludimus, Scripturam esse perspicuam.

29. Num Deus mentis & linguæ artifex disertè loqui non possit? imò verò summâ providentiâ carere fuco voluit ea, quæ divina sunt, ut omnes intel-

intelligerent, quæ ipſe omnibus loquebatur. Lactant. lib. 6. div. Inſtit. c. 21.

30. An non quod erudire debet, hoc eſt, ex rudi & ignorante doctum ac ſapientem facere, oportet eſſe perſpicuum.

31. Perſpicuitas docet, non obſcuritas vel perplexitas.

32. Ceterum, quando Scripturam ſacram dicimus perſpicuam, nequaquam volumus omnia omninò, quæ uſpiam in Scripturis proponuntur, ita comparata eſſe, ut primo intuitu cuivis ſint obvia.

33. Sed hoc volumus tantam eſſe Scripturæ perſpicuitatem, ut ex ea certa aliqua & conſtans ſententia de dogmatibus, quorum cognitio ad ſalutem cuivis neceſſaria eſt, haberi poſſit.

34. Sermo Propheticus & Apoſtolicus ſunt partes Scripturæ integran-

tes, at de utriusq; perſpicuitate extant teſtimonia, quomodo ergò Scriptura tanquam totum conſtituetur obſcura.

35. Sermo Propheticus in V. T. propoſitus comparatur lucernæ, ψ. 119. v. 105. 2. Petri 1. v. 19. de ſermone Apoſtolico dicitur 2. Cor. 4. v. 3. & 4. quod per accidens demùm obſcur⁹ & opertus ſit, per ſe igitur & ex ſua Natura erit perſpicuus.

36. Ex demonſtrata Scripturæ perfectione & perſpicuitate conſequitur, eam eſſe controverſiarum, quæ de Chriſtianæ religionis capitib⁹ agitantur, normam certam atq; unicam.

37. Quod ψ. 19. v. 5. de Apoſtolis dicitur: In omnem terram exivit linea ſeu perpendiculum eorum, id Paulus Rom. 10. v. 18. ad doctrinam Apoſtolorum accommodat, atqui eadem ſcripſerunt & docuerunt Apoſtoli.

38. Chriſtus etiam & Apoſtoli in controverſiis fidei definiendis nuſpiam

piam ad aliam, quàm Scripturæ normam vel provocârunt, vel nos ablegarunt, quos Ductores & Pastores, quæ ovicula non sequatur?

39. Sermo Christi, Prophetarum & Apostolorum in Scriptura sacra comprehensus judicabit omnes in novissimo die, Joh. 12. v. 48. Rom. 2. v. 16. Apoc. 20. v. 12. quid ergò prohibet, quò minus in hac vita possit esse norma, & quidem perfecta?

40. Si enim pars quædam doctrinæ cœlestis est extra libros Canonicos proposita, quomodo integrum ex illis olim erit judicium?

41. Porrò cum omnibus Christianis non solùm concessum, sed & mandatum sit Spiritus probare, 1. Joh. 4. v. 1. cavere à Pseudoprophetis, Matth. 7. v. 15. omnia probate, 1. Thess. 5. v. 21. & hac ratione ipsis incumbat, veritatē divinam ab humanis somniis discernere, utiq; etiam norma illi⁹ veritatis

Scriptura ſcilicet ad omnes pertinebit, & proinde Laici à Scripturæ lectione non ſunt arcendi.

42. Quod Spiritus ſanctus approbat & commendat, id prohibitum nemo dixerit. At commendantur Berhoënſes hoc nomine, quôd Pauli concionem ad Scripturas exegerint, Act. 17. v.11. commendantur electi advenæ diſperſionis Ponti, Galatię, Cappadociæ, Aſiæ & Bithyniæ, quòd Prophetico ſermoni tanquam lucernæ attendere conſueverint, 2. Petri 1. v. 19. commendatur omnibus Chriſtianis diligens Scripturarum ſtudium. Coloſſ. 3. v. 16.

43. Cumq; Laici Hebrææ & Græcæ linguæ, quibus V. & N. T. libri ſunt conſcripti, plerunq; ignari ſint, & tamen Scripturam legere debeant, ideò non improbandum eſt eorum ſtudium, qui Scripturas ſacras in linguam vernaculam tranſtulerunt.

44. Et

44. Et tamen ſolus Hebraicus textus in V. Græcus in N. T. eſt authenticus, quippe in quibus linguis utrumq; eſt editum.

45. Quod à fontibus illis diſcedit, pro verbo Prophetico & Apoſtolico hactenus haberi nec poteſt, nec debet, cùm non ſit θεόπνευστον. a Deo inſpiratum

46. Vulgata ergò illa verſio, quam Hieronymi eſſe, faciliùs dici quàm probari poteſt, nullo jure in ſublime iſtud authenticæ autoritatis ſolium collocari poteſt:

47. Habet namq; mendas graphicas, ellipticas, Chronographicas, & dogmaticas complures.

48. Corruptum habent ſenſum, qui Hebraicum textum corruptum eſſe dicunt.

49. Nec puram veritatem amant, qui fontes purè fluere negant.

50. Finis atq; uſus Scripturæ ſacræ per ejuſdē legitimā interpretationem obtinetur.

51. Cùm verò Scriptura perfecta & perſpicua ſit, ideò ex ſeipſa & per ſeipſam interpretanda eſt.

52. Quod enim perfectum eſt, heterogeneorum aſſumẽdo carere debet, quod perſpicuum, alieno lumine non indiget.

23. Etſi v. perſpicua ſit Scriptura, tamen mentis noſtræ tenebricoſi oculi ad lucem illam cœcutiunt:

54. Acceſſurus ergò ad Scripturæ interpretationem mentem à S. S. illuminari ſeriis gemitibus petito.

55. Dei gloria & hominum ad ſalutem inſtructio ſuprema lex Interpretationis eſto.

56. Cumq; quodlibet doctrinæ cœleſtis caput propriis & perſpicuis verbis alicubi in Scriptura ſit expoſitum, ideò reliquorum locorum interpretatio illis conformis eſto, ſic erit fidei analoga. Rom. 12. v. 6.

57. Nativitas vocabulorum ſignificatio-

cationes ſedulò obſervato.

58. In dubiis ad fontes Hebræos in V. ad Græcos in N. T. decurrito.

59. Cujusq; Dicti ſcopus, circumſtantiæ, antecedentia & conſequentia ſtudiosè reſpiciuntor.

60. Obſcuriora & pauciora quę ſunt per plura & clariora explicantor.

61. A litera, in articulis fidei præſertim, ne recedito, niſi ipſa Scriptura improprietatem oſtendat, eamq; exponat.

62. Patrum Scriptis adminiculi & manuductionis
χειραγωγίας loco in Scripturæ interpretione dextrè utitor.

63. Interim ea non ut Canonica habeto, ſed ex Canonicis conſiderato: quod in eis divinarum Scripturarum autoritati congruit, cum laude eorum acceptato; quod non congruit, cum pace eorundem reſpuito. Auguſt. lib. 2. contra Creſc. cap. 32.

III. APHORISMI THEOLOGICI DE DEO.

1. SUmmus totius Scripturæ finis eſt Dei agnitio, & eam conſequens ejuſdem celebratio.

2. Ab uno illo omnia, ad unum illum omnia.

3. Deum eſſe, etiam Naturæ liber oſtendit, eſt enim ὁ κόσμος τῆς θεογνωσίας παιδευτήριον. Baſil. in Hexaëm.

4. Libri hujus folia præcipuè tria; Cœlum, Terra, Mare & omnia, quæ in illis, ut Clem. Alexandr. loquitur.

5. Sed ex Scripturæ ſacræ libro cognitio Dei certior, evidentior & perfectior peti poteſt:

6. Obtenebrati ſunt per lapſum mentis noſtræ oculi, inde eſt, quod minùs expeditè in libro Naturæ progredi poſſumus.

7. Naturalis illius de Deo notitiæ finis

nis ab Apoſtolo conſtituitur τὸ ζητεῖν τὸν θεὸν, Act. 17. v. 27.

8. Teſtatur ipſa de ſui imperfectione, ideò ad revelationem pleniorem in Eccleſia inveniendam debet eſſe manuductio.

9. Eſſentia Dei tranſcendit creata omnia, ideò etiam cognitio ejus perfecta omnem tranſcendit intellectum, τὸ θεῖον ἀκατάληπτον, Damaſc. 1. orth. fid. c. 1.

10. Et quod inde conſequens eſt, ſicut ſummus ille Spiritus (DEUS) à nullo intellectu propriè valet excogitari, ita nullâ definitione poteſt propriè definiri aut determinari. Aug. de cogn. veræ vitæ cap. 7.

11. Nullis tàm plenè vocibus indicatus intelligitur, quàm illis, quæ ignorationem prætendunt noſtram. Scal. exerc. 365. ſect. 2.

12. Quæ proinde occulta Deus eſſe voluit, non ſunt ſcrutanda: nihilo ta-

men minus, quæ ſui revelatione manifeſta fecit, non ſunt negligenda, ne in illis illicitè curioſi, in his damnabiliter inveniamur ingrati. Ambroſius I. de vocat. gent. c. 7.

13. Deus omnibus rebus dedit eſſe, eſt ergò primum, ſummum & independens Ens.

14. Eſt αὐταυτὸς, Scal. l. d. οὐσία ὑπερούσιος, Dionyſ. lib. I. de div. nomin. cap. I.

15. Eſt eſſentia omnium eſſentiarum, creator omnium creaturarum, vita omnium vitarum, cauſa omnium cauſarum.

16. Ipſe dat omnibus omnia, à nullo accipit quicquam.

17. Supra eum nihil, extra eum nihil, ſine ipſo nihil, infra eum nihil: ſub ipſo totum, in ipſo totum, cum ipſo totum: ab ipſo omnia, per ipſum omnia, in ipſo omnia. Auguſt. de Specul. c. 33.

18. Eſſe

18. Esse Dei & esse creaturarum infinito secernuntur discrimine, μονοτρόπως καὶ ἐξαιρέτως Deo cõpetit essentia.

19. Deus est Spiritus, Joh. 4. v. 24. Spiritus carnem & ossa nõ habet, Luc. 24. v. 39. Deus ergò incorporeus est.

20. Quæ corporea Deo tribuuntur ἀνθρωποπαθῶς, ea intelligenda sunt θεοπρεπῶς.

21. Condescendit nobis Deus, ut nos consurgamus ei, & cum homines simus, hnmano more nobis loquitur.

22. Scriptura per corporalia docet spiritualia, per visibilia docet invisibilia.

23. Sic oculos habere Deus dicitur, qui sunt super justos: manum, quâ dat escam omni carni: pedes, quorum terra scabellum est: hæc omnia habet per effectum, non per affectum. Bern. serm. 4. sup. Cant.

24. Est ergò totus oculus, quia videt omnia: totus est man⁹, quia operatur omnia,

omnia; totus eſt pes, quia ubiq; eſt. Auguſt. ſuper ψ. 136.

25. Æternus Deus eſt, principii & finis expers, ab ipſo omnia, ipſe à nullo, nulli mutationi aut ſucceſſioni obnoxius, ipſe ſolus poteſt dicere, Sum qui ſum, Ero qui ero. Exod. 3. v. 6.

26. Si initium Deo tribueretur, mutatio etiam tribui deberet; ἄκτιστος, ἄχρονος, ἄναρχος, ἀτελεύτητος, ἀναλλοίωτος eſt, verè ergò αἰώνιος.

27. Quod ſi expers mutationis eſt, utiq; etiam compoſitionis, & quidem cujuſcunq;.

N.B. 28. Solus ipſe verè & propriè ſimplex, præter ipſum compoſita omnia, ſi non aliter ſaltem ex actu & potentia, ex eſſe & eſſentia.

29. Eſſentia Dei non ſolùm ſimpliciſſima eſt, ſed etiam infinita & immenſa, reb⁹ omnib. adeſt Deus non ſolùm per ſuam potentiam, quâ conſervat omnia, ſed etiam per eſſentiam, quâ

quâ intimiùs rebus creatis præſens eſt, quàm ipſæ ſibiipſis.

30. In illis verbis, in quib⁹ Deus dicitur ubiq; eſſe per eſſentiam, credendum eſt plus contineri, quàm homo vivens valeat capere. Lomb. 1. ſent. diſt. 37. F.

31. Nec tamen per locorum ſpacia, quaſi mole corporeâ diffuſus eſt Deus, ita ut in dimidio mundi corpore ſit dimidius, & in dimidio viciſſim dimidius, atque ita per totum totus, ſed in ſolo cœlo totus & in ſola terra totus, & nullo contentus loco, in ſeipſo ubiq; totus, Auguſt. Epiſt. 57. ad Dard.

32. Neq; propterea aut rebus eſt immixtus, aut rerum ſordibus infectus: eſt intra omnes creaturas, non incluſus: eſt extra omnes creaturas, non excluſus.

33. Bonitas, Sapientia ac Potentia Dei ex creaturarum inſpectione: Miſeri-

ſericordia, Juſtitia & veritas ex mundi adminiſtratione colligitur, unde cordatiores ex gentilib. hæc agnoverunt:

34. In Scripturæ libro de his & aliis DEI attributis teſtimonia numero plura, pondere graviora, perſpicuitate clariora extant.

35. Cum verò Deus immutabilis ſit, ideò hæc attributa non ſunt qualitates in Deo, ſed ſunt ipſa Dei eſſentia. Sapientia non eſt aliquid ſuperadditum divinæ eſſentiæ, ſed ipſa eſſentia.

NB. 36. Nihil eſt in Deo, quod non ſit ipſe Deus. Bernh. ſerm. 80. ſup. Cant.

37. Intelligamus ergò Deum, ſi poſſumus, quantum poſſumus, ſine qualitate bonũ, ſine quantitate magnum, ſine indigentia creatorem, ſine ſitu præſentem, ſine habitu omnia continentem, ſine loco ubiq; totum, ſine tempore ſempiternum, ſine ulla ſui mutatione mutabilia facientem, nihilq; patientem. Aug. 5. de Trin. c. 1.

38. Unum

38. Unum verum Deum esse Catholica credit & profitetur Ecclesia, ab ipso Deo in Scripturis hoc edocta.

39. Cum hac divinæ essentiæ unitissima (ut ita loquar) unitate Trinitas personarum non pugnat: unus ille verus Deus est Pater, Filius & Spiritus sanctus.

40. Dicimus tres personas, sed non ad præjudicium unitatis in essentia, dicimus unum Deum, sed non ad confusionem Trinitatis. Bernh. lib. 5. ad Eugen. in princ.

41. Quæris, quomodo hoc esse possit? sufficiat tibi credere sic esse, extra verbi limites hoc scrutari temeritas est, credere pietas, nosse vita æterna est. Bernh. l. d.

42. Esse Patris est esse Filii & esse Spiritus sancti, sed esse Patrem non est esse Filium, nec esse Spiritum sanctum.

43. Ego & Pater unum sumus, dicit

Filius

Filius Joh. 10. v. 30. Quod dixit unum, reſpicit ad eſſentiæ unitatem, & liberat te ab Ario: quod dixit ſumus, reſpicit perſonarum diſtinctionem, & liberat ſe à Sabellio. Auguſt. lib. 5. de Trin. cap. 9.

44. Nec debemus unum cogitare Deum, quin trium perſonarum fulgore circumfundamur, nec debemus tres perſonas diſtinguere, quin ſubitò ad unum Deum feramur. Nazianz. ſerm. de ſacro Bapt.

45. Credatur à nobis una Divinitas ſine confuſionis ſeparatione diſtincta, ut nec ſingularis putetur in Trinitate perſona, nec triplex in unitate ſubſtantia, ſed ita aſſignetur pluralitas unitati, ne Trinitati ſubtrahatur æqualitas. Aug. ſerm. 29. de tempore.

46. Pater à nullo eſt factus, nec creatus, nec genitus, nec procedens: Filius à Patre ſolo eſt, non factus, nec creatus, ſed genitus: Spiritus ſanctus

à Pa-

à Patre & Filio eſt non factus, nec creatus, nec genitus, ſed procedens. Athanaſ. in Symb.

47. Vitandum eſt in divinis nomen diverſitatis, ne tollatur eſſentiæ unitas: vitandum nomen ſeparationis vel diviſionis, ne tollatur divinæ eſſentiæ ſimplicitas: Vitandum nomen diſparitatis, ne tollatur perſonarum æqualitas: vitandum nomen alieni & diſcrepantis, ne tollatur eſſentiæ identitas: vitandum nomen ſingularitatis, ne labefactetur una tribus communis Deitas.

48. Vitandum nomen unici, ne tollatur perſonarum numerus: vitandum nomen confuſi, ne tollatur perſonarum ordo: vitandum nomen ſolitarii, ne tollatur trium perſonarum conſortium. Th. p. 1. q. 31. art. 2.

49. Non debemus dicere cum Zanchio, quòd tres perſonæ ſint partes Dei eſſentiales, lib. 2. de trib. Elohim c. 7. p. 529.

50. Rectiùs Augustinus pronunciat, essentiam prædicari de Patre, Filio & Spiritu sancto, non ut genus de speciebus, nec ut species de individuis, nec ut totum de partibus, sed alio quodam ineffabili & incomprehensibili modo.

51. Nec cum Calvino lib. 1. Instit. cap. 13. sect. 23. & Zanchio lib. 1. de trib. Eloh. c. 3. itemq; Sohnio tom. 2. Exeg. p. 123. dicendum, quod Pater sit Deus κατ' ἐξοχήν.

52. Ubi enim essentiæ identitas, ibi nulla ἐξοχή aut inæqualitas. Castè & cautè hîc loquendum.

53. Nec propterea deneganda Filio æternitas, quia à Patre genitus est, siquidem ab æterno est genitus.

54. Æternus Pater æternum generat Filium.

55. Generatio illa Filii facta intelligatur ἀπαθῶς, ἀχρόνως, ἀρρεύστως, ἀχωρίστως. Damasc. lib. 1. orth. fid. c. 8.

56. Ni-

56. Nihilominus eſt propriè dicta generatio: ὁ λόγος propriè eſt Dei Patris Filius, verè igitur & propriè eſt à Patre genitus.

57. Obſerva autem & hîc & alibi, quæcunque à creaturis transferuntur ad Deum, repurganda eſſe priùs ab omnibus imperfectionibus, & tum demùm id quod perfectum eſt, Deo tribuendũ eſſe. Zanch. 6 de trib. Eloh. c. 7.

58. Veterum dicta, q; ex mente Patris prodierit Filius, non ſunt odioſè exagitanda, voluerunt potiſſimùm quod sine passione fuerit generatio τὸ ἀπαθὲς τῆς γεννήσεως denotare. Nazianz. orat. 2. de Filio. Baſil. ſup. 1. Joh.


49. Neq; tamen extendenda hæc ſunt, ſed piè exponenda.

60. Dignè loqui de perſonis, vim tranſcendit rationis, excedit ingenia, quid ſit naſci, quid proceſſus, Me neſcire ſum profeſſus: Rob. Holcoth. q. 10. determinationum, referente Biele. 1. ſent. diſt. 13. q. un.

 61. Col-

61. Colligamus definitionem. Deus est essentia spiritualis, simplex, intelligens, æterna, verax, bona, justa, sancta, casta, misericors, liberrima, immensæ sapientiæ & potentiæ, alia à mundi creaturis & corporibus omnibus: Pater æternus, qui ab æterno ex essentia sua Filium imaginem suam substantialem genuit, & Filius imago Patris coæterna, ab æterno à Patre genitus: & Spiritus sanctus à Patre & Filio procedens, Creator & Conservator rerum omnium, Redemtor & Sanctificator Ecclesiæ, unus verus DEUS benedictus in secula.

62. Breviter, DEUS est Jehovah, Elohim, id est, una divina essentia trium personarum. Sancta illa Trinitas est indivisa trium unitas.



IV. APHO-

IV. APHORISMI THEOLOGICI DE PERSONA ET OFficio Chriſti.

1. Quàm ſalutaris eſt Chriſti Salvatoris cognitio, tàm grata nobis eſſe debet doctrinæ de Chriſto explicatio.

2. Chriſtus eſt θεάνθρωπος, verus Deus & Homo verus.

3. Ejuſdem igitur periculi eſt in Chriſto vel Divinitatem vel carnem noſtri corporis negare.

4. Deus eſt per æternam ex Patre generationem; homo eſt per carnis ex Maria aſſumtionem.

5. Neq; enim carnem è cœlo ὁ Λόγος ſecum detulit, ſed veram humanam Naturam ex purificato Mariæ ſanguine aſſumſit.

Aſſumtio

6. προσληψις illa omnem Naturæ curſum, imò omnem mentis noſtræ captum excedit, peculiari quippe Spi-

ritus ſancti operatione facta eſt.

7. Neq; tamen σπερματικῶς ſed δημιουργικῶς hîc egit ſanctus Dei Spiritus.

8. Virginem ſine virili ſemine concipere; virginem eſſe ſanctiſſimi partus matrem, imò Deiparam; Naturæ terminos excedit, non autem Spiritus ſancti operationem terminat.

9. Aſſumſit ὁ λόγος humanam Naturam non ſolùm veram; ſed & integram, hoc eſt, tùm perfectam, tùm ab omni peccati labe immunem.

10. Aſſumſit autem in perſonæ ſuæ unitatem, proinde carnis aſſumtio eſt ipſa τοῦ λόγου & carnis perſonalis unio.

11. Perſona non aſſumſit perſonam, ſed ſecunda Trinitatis perſona humanam aſſumſit Naturam.

12. Non ergò alius eſt Deus, alius homo in Chriſto; ſed idem ipſe eſt Deus, qui & homo.

13. Non

13. Non ἄλλος καὶ ἄλλος, sed ἄλλο καὶ ἄλλο est in Christo.

14. Ita namque asserenda Naturarum dualitas, ut non negetur arctissima atque indissolubilis personæ unitas.

15. Solam Filii personam incarnatam esse Veteres dicunt.

16. In qua locutione vox personæ non opponitur divinæ Filii Naturæ, sed Patris & Spiritus sancti personæ.

17. Alibi enim dicunt, & rectè, quòd tota Divinitas ἐν μιᾷ τῶν ἑαυτῆς ὑποστάσεων sit incarnata.

18. Persona τοῦ λόγου & Natura divina τοῦ λόγου non differunt realiter.

19. Divinitas tota & perfecta est in qualibet persona.

20. Ergò incarnatâ unâ personâ rectè dicitur tota Divinitas incarnata,

videlicet in una illa perſona τοῦ λόγου.

21. Unio illa Naturæ divinæ & humanæ in Chriſto perſonalis eſt, ſed non perſonarum: eſt unio Naturarum, ſed non naturalis.

22. Eſt etiam unio inſeperabilis tùm temporis tùm loci reſpectu.

23. Quam enim λόγος ſemel aſſumſit carnem, eam nunquam deponet.

24. Quam ſibi ſemel univit Naturam, eam nuſpiam deponit.

25. Aſſumta illa humana Natura non eſt ἰδιοσύστατος, nec αὐθυπόστατος, nec ἀνυπόστατος, ſed ἐνυπόστατος.

26. Ἐνυπόστατος eſt non qualicunq; in λόγῳ geſtatione, ſed pleniſſimâ totius perſonæ τοῦ λόγου communicatione.

27. Ergò poſt factam incarnationem nec perſona τοῦ λόγου extra carnem, nec caro extra perſonam τοῦ λόγου ſtatuenda.

29. Quæ Deus conjunxit, quæ in

Deo

Deo conjuncta, homo nec ſeparet nec divellat.

29. Nec ſtatuenda eſt nuda quædam unitarum Naturarum περίςασις, ſed potiùs arctiſſima & intima περιχώρησις.

30. Ad denotandam perſonæ unitatem dicunt veteres, unionem eſſe factam ἀδιαιρέτως, ἀχωρίςως, ἀδιαςάτως.

31. Ad denotandam Naturarum dualitatem, dicunt unionem eſſe factam ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, ἀναλλοιώτως, ἀμεταβλήτως.

32. Manet caro finita in ipſa unione, proinde non fit Naturarum exæquatio vel coextenſio.

33. Infinitæ ὑποςάσεως per unionem particeps fit caro, proinde non fit Naturarum per διαςήματα locorum ſeparatio.

34. Propter hanc unionem hypoſtaticam rectè dicitur, Filius Dei eſt Fi-

lius Mariæ : & viciſſim Filius Mariæ eſt Filius Dei; Deus eſt homo, & homo eſt Deus.

35. Quæ propoſitiones commodiſſimè dicuntur perſonales:

36. Fundamentum enim earum conſiſtit in unione perſonali, & tota earum vis, veritas, proprietas & connexio ex unione perſonali duarum Naturarum in Chriſto æſtimanda eſt.

37. Ad Logicæ regulas referri nec poſſunt, nec debent, cùm illa τȣ λογȣ [verbi] ενσαρκωσις [incarnatio] λογον [rationem] humanûm, imô Angelicûm excedat.

38. Regulares ergò non ſunt iſtæ propoſitiones, cùm ſupra rationis & Logicæ regulas aſſurgant.

39. Sed nec figuratè dici debent, cùm non in figura, ſed verè & propriè Filius DEI ſit hominis Filius.

40. Conſequens unionis perſonalis eſt idiomatum communicatio.

41. Cùm

41. Cùm enim Deitas & attributa Deitatis ſint ταυτότι, cumq; idiomata ſua proximè Naturam attingentia humanitas habeat, ideò divinæ & humanæ Naturæ in Chriſto unio, quandam idiomatum communicationem affert.

42. Primò enim Naturæ illæ duæ non ſubſiſtunt ſeparatim, ſed unitæ ſunt in unam hypoſtaſin.

43. Ergò nec ſingulæ ſeorſim & ſolæ agunt, quæ cujusq; propria ſunt, ſed perſona agit omnia juxta cujusq; Naturæ proprietatem.

44. Inde eſt, quod propria unius Naturæ tribuuntur perſonæ in concreto.

45. Veteres hoc vocant ἀντίδοσιν, τρόπον ἀντιδόσεως, & uſitatiſſimè ἰδιοποιίαν.

46. Subjecti loco in his propoſitionibus ſemper ponitur nomen perſonæ ad vindicandam perſonæ unitatem.

47. In

47. In prædicato quandoq; expressè adduntur, semper implicitè intelliguntur particulæ distinctivæ ad asserendam Naturarum distinctam proprietatem.

48. Propositiones illæ sunt reciprocæ, hoc est, tàm divina de homine, quàm humana de Deo prædicantur.

49. Est enim æqualis unio; tàm arctè humana Natura divinæ, quàm divina humanæ unita est.

N.B. 50. Filius hominis est creator cœli & terræ: Filius Dei est passus. Utrumque rectissimè dicitur.

51. Creatio non quidem competit assumtæ humanitati per Naturæ conditionem, tamen propter ὑποστάσεως ταυτότητα rectissimè Filio hominis tribuitur.

52. Sic passio non competit Divinitati per Naturæ conditionem: tamen propter intimam illam & ineffabilem Naturarum unionem non minùs ad Filium

Filium Dei pertinet, quàm si illam in ipsa sua Natura divina sustinuisset.

53. Siquidem ὁ Λόγος humanam Naturam in personæ unitatem assumendo, omnia ejus idiomata personaliter sibi appropriavit.

54. Id Vigilius lib. 2. contra Eut. sic exprimit: Deus non est passus in proprietate Naturæ, sed in unitate personæ.

55. Deinde unio illa personalis facta est propter officium Mediatoris.

56. In quo Natura altera non otiosè quiescit, aut sua tantùm privatim ac separatim agit, nihil aut aliud agente alterâ, sed utraque Natura agit cum communicatione alterius.

57. Inde est, quod nomina officii competunt Christo, & prædicantur de Christo secundum utramq; Naturam.

58. Utriusq; enim Naturæ actiones concurrunt ad consummationem ἀποτέλεσμα quoddam commune, & fit actio Dei hominis θεανθρωπικὴ sive deovirilis θεανδρικὴ.

59. Ve-

59. Veteres id vocant κοινοποιΐαν καὶ περίφρασιν.

60. Tertiò in Mediatoris officio humana Natura non agit tantùm humana, ſed quia τὰς θείας ἐνεργείας ἐπλούτησεν propter puriſſimam ad Verbum unionem, ideò eſt & vocatur Deitatis organum, non ſeparatum aut diviſum ſed perſonaliter unitum, in quo, cum quo, & per quod ὁ λόγος in officio Mediatoris agit. Damaſc. 3. Orth. fid. cap. 17.

61. Divina quidem Natura in Chriſto cùm ſit perfectiſſima, nihil ἐπλούτησεν in iſta unione, ſed humanæ Naturæ μεγάλη προσθήκη facta, cùm præter, ſupra & ultra eſſentiales ſuas proprietates, quas in æternum retinet, divinas ἐξοχὰς in & ex hypoſtatica illa unione ſit ſortita.

62. Veteres id vocant ὑπερύψωσιν, δόξασιν, μετάληψιν θείας ἀξίας, μετάδοσιν,

δοσιν καὶ μετοχὴν θείας ἐξουσίας, βελτίωσιν, πλοῦτον, ἀνάβασιν.

63. Collationem illam τῶν ἐξοχῶν ſecundum humanam Naturam Chriſto factam eſſe, Scriptura evidenter teſtatur, & pii veteres magno conſenſu approbant.

64. Quando ergò à Patre talia Filio in tempore collata dicuntur, ſecundum humanam Naturam collata eſſe intelligantur.

65. Ut ſit relatio inter Patrem dantem, & Filium in tempore accipientem, non reſpectu divinæ Naturæ, juxta quam eſt eſſentialiter unum cum Patre, & quæcunq; Pater agit, eadem ὁμοίως agit. Joh. 5. v. 19. ſed reſpectu humanæ Naturæ, quæ iſtorum erat capax atq; indiga.

66. Data autem ſunt verè infinita & immenſa dona, videlicet πᾶσα ἐξουσία, θεία δοξη, πάντες θησαυροὶ σοφίας, ἐνέργεια ζωοποιητική,

τικὴ, ἐξουσίαν ποιεῖν κρίσιν, præſens imperium in cœlo ac terra.

67. Neq; tamen phyſica quædam hîc cogitetur vel ſtatuatur idiomatum divinorum effuſio, ſed ut ipſa unio, ita quoq; communicatio perſonalis eſt.

68. Nullam idiomatum ſuorum excidentiam Divinitas λόγȣ eſt paſſa, nec idiomata illa per hanc communicationem ſunt carni propria facta.

69. Sed divina Natura Filii idiomata ſua intra arctiſſimum ὑποστάσεως ſuæ complexum retinens, ac nihilominꝰ humanam Naturam in κοινωνίαν atque unitatem ὑποστάσεως ſuæ aſſumens, eandem ſimul in κοινωνίαν idiomatum divinorum aſſumit, hoc eſt, in & cum humana Natura, ac per eam, utpotè ὄργανον ὑποστατικὸν idiomata ſua exerit.

70. Communicationis ergò illius fundamentum in προσλήψει propriè conſiſtit.

71. Non

71. Non enim humana Natura assumsit divinam, sed ὁ λόγος est persona assumens, Natura humana in ea & ab ea assumitur.

72. Unio Naturarum æqualis est, interim assumere in illa unione τῷ λόγῳ, assumi verò carni competit.

73. Ac proinde etsi unio Naturarum est æqualis, tamen conditio Naturarum unitarum inæqualis est.

74. Injuriâ sui corporis non fateor affectam Deitatem, sicut Majestate Deitatis glorificatam novimus carnem. Aug. contra Felic. cap. 11.

75. Deniq; communicatio illa, cùm sit unionis essentiale consequens, in primo incarnationis momento quidem facta.

76. Intercessit tamen exinanitionis status propter nos & nostram salutem.

77. Ut enim pati & mori posset Mediator noster Christus, ideò gloriam

& Majeſtatem ſecundum humanam Naturam ſibi communicatam in diebus carnis ſuę plenâ luce non exeruit.

78. Non exeruit inquam, interim eâ non omnimodè caruit; evacuavit ſe non omnimodâ gloriæ & potentiæ depoſitione, ſed uſus & manifeſti ſplendoris retractione.

79. Ad hunc exinanitionis ſtatum pertinent conceptio, geſtatio in utero, nativitas, incrementum ætatis & ſapientiæ, obedientia in forma ſervili uſq; ad mortem crucis, quam ſecuta eſt ſepultura.

80. Exinanitionem ſecuta eſt glorioſa Chriſti exaltatio, ad quam pertinent deſcenſus ad inferos, reſurrectio ex mortuis, aſcenſio ad cœlos & ſeſſio ad dextram Dei.

81. Quæ omnia pertinent ad Mediatoris officium, propter q, mirabilis illa divinæ & humanæ Naturæ unio facta, & quod ſecundum utramq; Naturam Chriſtus adminiſtrat.

82. Ad

82. Ad hoc valuit Naturarum in Chriſto diverſitas (διπλότης) & perſonę unitas, ut q; opus erat fieri ad hominum reſtaurationem, ſi humana non poſſet Natura, faceret divina; & ſi divinæ minimè conveniret, exhiberet humana:

83. Atq; ita non alius atq; alius, ſed idem ipſe eſſet, qui utrumq; perfectè exiſtens, per humanam ſolveret, quod illa debebat; & per divinam poſſet, quod expediebat. Anſh. 2. Cur Deus homo. cap. 18.

84. Homo nudus ſatisfacere non poterat, Deus non debebat, factus igitur Deus homo, ut, qui pro ſe nihil debebat, pro nobis ſatisfacere poſſet.

85. Hoc Mediatoris officium Chriſtus ita exequitur, ut ſit Propheta, Sacerdos & Rex noſter.


86. Officium Propheticum conſiſtit in Evangelii revelatione & Miniſterii inſtitutione ac conſervatione.

87. Officii ſacerdotalis partes ſunt Satisfactio & Interceſſio.

88. Regnum Chriſti conſideratur vel in hac vel in altera vita.

89. In hac vita eſt regnum potentiæ vel gratiæ, illud eſt generale Imperium ſuper omnia, hoc verò complectitur ſpecialia gratiæ opera in Eccleſia.

90. In altera vita erit regnum gloriæ, in quod electi omnes olim è pulvere ſuſcitati recipientur, cujus participes faciat nos Chriſtus Rex noſter in ſecula benedictus.



V. APHO-

V. APHORISMI THEOLOGICI DE CREATIONE ET Angelis.

1. DEus Naturâ inviſibilis, ut à viſibilibus ſciri poſſet, opus aliquod fecit, quod opificem ſuâ viſibilitate manifeſtaret. Ambroſ. in cap. 1. Rom.

2. Temporalis hæc Dei actio eſt & vocatur Creatio.

3. Quæ nihil aliud eſt, quàm totius Univerſi à Patre per Filium in Spiritu ſancto ſex diſtinctis diebus ex nihilo facta productio, ad ipſius Dei gloriam & hominum ſalutem.

4. Autor igitur creationis eſt Deus in eſſentia unus, in perſonis Trinus.

5. Quin & ſolius Dei immediata actio eſt illa rerum omnium creatio.

6. Pater creavit dicendo, quod Euangeliſta de Hypoſtatico & conſubſtantiali Dei Verbo accipiendum eſſe

docet. Johan. 1. verſ. 1. & 9.

7. Spiritus Domini incubabat aquis, Gen. 1. v. 2. id Pſaltes de Spiritu oris, hoc eſt, hypoſtatico & conſubſtantiali Dei Spiritu accipiendum eſſe oſtendit. ψ. 33. v. 6.

8. Ergò quod Moſes creatorem vocat Elohim, id rectiſſimè ad perſonarum Trinitatem refertur.

9. Quòd Patrem per Filium in Spiritu ſancto omnia creâſſe audis, id cave de eſſentiæ vel potentiæ in agendo inæqualitate accipias.

10. Cùm quæcunq; Pater agit, eadē similiter ὁμοίως agat Filius, Joh. 5. v. 19.

11. Sed totum hoc ad perſonarum realem diſtinctionem, & qui ex eo reſultat in operibus ad extra agendi ordinem referri debet.

12. Creavit ergò Pater per Filiū nō tanquam per ἄεργον vel ſeparatū aliquid inſtrumentum, ſed ut per coæternam & conſubſtantialem ſibi Imaginem.

13. Cre-

13. Creavit autem omnia ex nihilo.

14. Alia quidem immediatè, alia verò mediatè. Damaſc. 2. orth. fid. c. 5.

15. Idq́; diſtinctis ſex diebus, unde creatio à veteribus dicitur ἔργον ἑξαήμερον.

16. Uno omnia condita eſſe momento rationi quidem videtur congruum, ſed Scripturæ Moſaicæ eſt adverſum.

17. Primo die creata ſunt cœlum & terra, hoc eſt, totius futuri operis rudis ac informis materia.

18. Creata etiam lux eſt ad diſpellendas abyſſi tenebras ac dierum noctiumq́ue viciſſitudinem inchoandam.

19. Lux illa procul dubio obſcurior, obſcura igitur de ejus Natura quæſtio.

20. Secundo die factum eſt firmamentum, hoc eſt, totum illud cœleſtium corporum ſyſtema.

21. Supra illud aquas eſſe Spiritus

 ſanctus

ſanctus diſertè aſſerit, quæ cujus uſus ſint, novitis, qui eas fecit.

22. Credamus hoc Scripturæ, cujus major eſt autoritas, quàm ingenii humani capacitas. August. 2. de Gen. ad lit. c. 4.

23. Tertio die aquas ſublunares omnipotens Dei Imperium congregat & aridam apparere facit.

24. Quæ ergò ſunt baſes terræ? qui maris aggeres? omnipotens Dei verbum.

25. Nec verò terram Deus voluit eſſe infrugiferam, ſed omnis generis herbas proferre juſſit. Eſai 45. v. 18.

26. Herbæ iſtæ non quidem omnes homini ſunt eſui, interim omnes hominis ſunt uſui.

27. Quarto die ſuſpendit Deus in laquearibus firmamenti majora ac minora luminaria.

28. Quæ nihil aliud ſunt, quàm lucis iſtius primogeniæ ὀχήματα, atq; vehicula.

29. Stel-

29. Stellæ tàm fixæ quàm erraticæ agunt in hæc inferiora motu, lumine & influentiis.

30. Influentiæ illæ quales sint, obscurissimæ ac minima ex parte nobis obviæ est indaginis.

31. Cavendum ergò, ne humanorum scelerum causas astris asscribamus, cum astrorum conditor ab omni scelere sit immunis.

32. Sapiens dominabitur astris, id intellige de vera ac divina sapientia, quæ consistit in Dei timore ac sincera pietate.

33. Non ergò Mathesis, sed matæa est, quæ hominum fortunas, eventa & actiones ex astris prædicere satagit. Scal. exerc. 251.

34. Quinto die repletur aqua piscibus, aër volatilibus.

35. Ex aqua producit Deus ea, quæ intra aquam vivere non possunt, & quæ non nisi in aqua vivunt, quod o-

mnipotentiæ ac omniſapientiæ eſt argumentum.

36. Sextus dies natalis eſt animalibus terreſtribus & ipſi homini.

37. Quæ omnia condita propter hominem, homo propter Deum.

38. Nulla creatura homini nocuiſſet, omnes potiùs ipſi inſerviiſſent, ſi non peccâſſet. Aug. lib. 3. de Gen. ad lit. c. 15.

39. Detrectans homo creatori debitum ſervitium amiſit datum ſibi in creaturas dominium.

40. Creaturus hominem Deus prævîam quaſi conſultationem inſtituit, quia animal λογικὸν rationis & conſilii capax creandum erat.

41. Creatis rebus omnib. homo demum creatur, eſt enim totius Univerſi epitome, centrũ ac complementum.

42. Factus etiam eſt in terra & de terra, nec tamen ad terram & propter terram, ſed ad cœlum & propter cœlum.

43. Is

43. Is qui cœli ac terræ conditor eſt, in homine requieſcere voluit, ideò poſt factum hominem requievit.

44. Quin adeò ſunt omnia propter hominem condita, ut ipſos Angelos Naturâ & dignitate longè ſuperiores homini inſervire Deus juſſerit.

45. Et quid mirum omnia propter hominem à DEO facta, cùm DEUS ipſe propter hominem homo factus?

46. Angelorum creationem Moſes non deſcribit, nec tamen ob id ex creaturarum cenſu eos eximit.

47. Quo die creati ſint ſubtiliùs quæritur, quàm fructuoſius invenitur.

48. Naturæ incorporeæ ratione dicuntur Spiritus, officii ratione Angeli.

49. Spiritus quidē ſunt, neq; tamen ad

ad ſimplicitatem diuinæ Naturę aſſurgunt.

50. Cùm eſſe & eſſentia, actus & potentia, Natura & actiones in ipſis ſint diſtincta.

51. In corporibus quandoq; apparent, nec tamen corporei ſunt, cùm aſſumtorum corporum ſint formæ aſſiſtentes, non informantes.

52. Intelligunt Angeli per ſpecies tùm connatas tùm ſuperadditas.

53. Quam vocant cognitionem Angelorum veſpertinam, cui addunt matutinam, quâ in luce verbi omnia intuitivè omnia cognoſcere dicuntur.

54. Sed quid homunculorum in terra repentium intellectui de Angelorum intellectu poteſt eſſe obvium!

55. Ne noſtræ quidem intelligentiæ modum plenè ſcimus, & de Angelico intellectu balbutire incipimus!

56. Nec ſolùm intelligentiâ, ſed & potentiâ inſtructi ſunt Angeli, ideò

Vir-

Virtutes ac Poteſtates dicuntur.

57. Finita tamen hæc ipſorum potentia, ut & finita eſt eſſentia.

58. Finiuntur autem non corporei loci circumſcriptione, ſed certi cujuſdam ϖȣ̂ deſignatione.

59. Quidam dicunt æternitatem Dei eſſe menſuram Angelorum; Scal. ex. 359. ſect. 7.

60. Hoc intelligendum eſt de menſura perfectionis, non autem de menſura durationis.

61. Eſſe inter Angelos certas Hierarchias non negamus, quæ verò illæ ſint, ſciri à nobis poſſe negamus.

62. Angelorum Ordo notus ei, qui eos ordinavit.

63. Quem coràm intuebimur, cùm olim erimus ἰσάγγελοι. Matth. 22. v. 30.

64. Conditi ſunt à Deo Angeli omnes boni & perfecti, nam à bono & perfecto nil niſi bonum & perfectum.

65. Sed quidam; imò magna pars

ipſo-

ipſorum concreatâ iſtâ bonitate per voluntarium lapſum excidit.

66. Qui Angelorum lapſus qualis fuerit, Scripturâ tacente quis ediſſeret? Superbiam vel Invidiam fuiſſe veteres diſputant.

67. Mali abſque ſpe reparationis lapſi ſunt, boni contrà in bono ſunt confirmati, atque à defectionis periculo liberati.

68. Quæ Angelorum in bono confirmatio non fuit adæquatum & debitum meriti alicujus ſtipendium, ſed gratuitum Dei ultra condignum præmiantis donum.

69. Ex confirmatione quorundam Angelorum in bono & obſtinatione quorundam in malo oriuntur contraria utriusq; partis opera.

70. Boni ſunt οἱ τοῦ θεοῦ ἐπαινέται καὶ τῶν ἀνθρώπων ὑπηρέται.

71. Adſunt nobis Angeli ut proſint, ut protegant, ut pugnent. Bernh. ſerm. 10. in ψ. 91.

72. An-

72. Angelorum numerus nobis eſt innumerus.

73. Quomodo Angeli ſibi invicem loquantur, diſcutiant & determinent illi, qui eos invicem colloquentes audiêrunt.

74. Ex ſubtilitate Naturæ & temporum experientia, quin & revelatione ſuperiori quædam pręſcire poſſunt Diaboli, non tamen omnia.

75. Multa mirabilia facere poſſunt, non autem miracula propriè ſic dicta.

76. Faciunt, quod poſſunt Deo permittente, quod poſſunt, non faciunt Deo prohibente.

77. Atq; hæc eſt primi θεουργήματος in tempore facti, hoc eſt, creationis qualiſcunq; deſcriptio, cujus cauſa eſt ὑπερβολὴ καὶ πλοῦτος bonitatis divinæ. Damaſc. 2. orth. fid. c. 2.

78. Neq; enim ex indigentia, ſed ex beneficentia fecit Deus ſua opera; noſtris

noſtris non ampliatur laudibus, ſed ſuis manifeſtatur operibus. Euch. lib. 1. in Gen.

79. Eſt cauſa Univerſi finalis ratione ſuæ bonitatis; exemplaris ratione ſuæ ſapientiæ; efficiens ratione ſuæ potentiæ. Thom. 1. q. 46. art. 1.

80. Dei ergò gloria finis creationis eſt ultimus; hominum utilitas ſecundarius & intermedius.

81. Bonus Deus benè fecit & bona fecit omnia, ipſi ſit laus, honor & gloria in ſempiterna ſecula.

VI. APHORISMI THEOLOGICI DE PROVIDENTIA.

1. DEus παντοκράτωρ non Univerſi tantùm eſt creator, ſed & ejuſdem ſuſtentator & gubernator.

2. Omnia benè fecit, omnia benè gubernat & adminiſtrat.

3. Sicut nihil factum niſi per eſſentiam

tiam

tiam creatricem, ita nihil viget niſi per ejuſdem potentiam ſervatricem. Anſh. in Monol.

4. Divina hæc omnium creaturarum ſuſtentatio & gubernatio uſitatè vocatur Providentia.

5. De qua evidens teſtimonium fert ipſa Natura; evidentius verò ſacra Scriptura.

6. Univerſa igitur divinâ Providentiâ exiſtere & gubernari veræ pietatis jura prædicant. Euſeb. 6. de præpar. Evang. cap. 5.

7. Conſiſtit autem Providentia divina in his tribus; in προγνώσει, προθέσει καὶ διοικήσει.

8. Quod Hugo de S. Victore ſic effert. In Providentia conſiderandam eſſe ſcientiam dirigentem, voluntatem imperantem & potentiam exequentem.

9. Πρόγνωσις eſt præſentiſſimus o-

mnium præteritorum, præſentium & futurorum intuitus.

10. Deus in τῷ νῦν non labili ſed fixo, non ſucceſſivo ſed ſtabili & immobili omnia omninò intuetur.

11. Omnia temporum ſpacia & intervalla æternitatis ſuæ proprietate excludit.

12. Ut præteritorum non reminiſcitur, ita nec futura è longinquo prævidet, ſed præſens omnia videt.

13. Scita ſunt mutabilia, tranſeunt & ſuccedunt; ſed ſcientis viſio alterationis vices ignorat. Polycratic. lib. 2. cap. 21.

14. Hac ſcientiâ Deo omnia magis nota, quàm ipſa ſibimetipſis.

15. Deus ſeipſum videt in ſeipſo, reliqua omnia videt in ſeipſo, quia ab ipſo & in ipſo ſunt omnia.

16. Immutabilis hæc eſt Dei ſcientia, nihilo tamen minùs res quædam, ad quas ſe extendit, in ſeipſis ſunt mutabiles.

17. O-

17. Omnia ſunt neceſſaria neceſſitate conſequentiæ, non autem neceſſitate conſequentis.

18. Neq; enim ignotum poteſt eſſe omniſcio Deo, quo vis agendi in cauſis contingenter & liberè agentibus ſit declinatura;

19. Interim ſuâ illâ viſione non affert eis abſolutam aliquam neceſſitatem, alias deſinerent eſſe liberè & contingenter agentia.

20. Flagitioſum igitur eſt perpetrandorum flagitiorum neceſſitatem ex divina Providentia arceſſere.

21. Si ideó peccaret homo, quia Deus illum peccaturum præſciverit, non hominis ſed ſua peccata Deus præſciret, quod ἀσεβές.

22. Non τὸ ὅτι ſolùm, ſed etiam τὸ διὰ ὅ, καὶ τὸ πῶς cauſam & modum agendi prævidet Deus.

23. Prævidet res, prævidet rerum cauſas, quæ ergò ex cauſis ſuis ſunt vo-

luntaria vel contingentia, per divinam Providentiam talia eſſe non deſinunt.

24. Quomodo cauſarum ordo, qui præſcienti Deo certus, id efficeret, ut nihil ſit in noſtra voluntate, cùm in ipſo cauſarum ordine locum habeant noſtræ voluntates? Auguſt. 5. de Civ. Dei cap. 9.

25. Neque verò nuda πρόγνωσις eſt Providentia, cùm Deus non ſit otioſus rerum ſpectator, ſed etiam προορισμὸς ſive πρόθεσις voluntas & decretum rebus omnibus proſpiciendi.

26. Providi eſt non tantùm habere notitiam, ſed & voluntatem proſpiciendi benevolam.

27. Πρόθεσις illa æterna exactiſſimè reſpicit actualem rerum διοίκησιν in tempore.

28. Quicquid enim & quo modo Deus in tempore ſua διοικήσει agit, illud & eo modo ab æterno agere ſuâ προθέσει decrevit.

29. Δι-

29. Διοίκησις eſt actualis ac temporalis illa rerum omnium ſuſtentatio ac gubernatio, quà Deus omnia ſapienter, liberè, potenter ac benè moderatur atq; dirigit.

30. Hæc διοίκησις ad omnia omninò ſe extendit, attingit à fine uſq; ad finem εὐρώστως, ac diſponit omnia χρηστῶς. Sap. 8. v. 1.

31. Si enim non eſt injuria & probrum Dei minutiſſimas quaſq; res feciſſe, multò minùs probrum illiꝰ erit, factas regere. Ambroſ. 1. de offic. cap. 13.

32. Omnia ex nihilo facta, ad nihilum omnia reciderent, niſi ſummum illud & verum Ens omnia ſuſtentaret, quæ conſervatio nihil aliud eſt, quàm exiſtentiæ continuatio. Scal. exerc. 250. ſect. 1.

33. Ut radiorum eſſe à Sole, eſſe umbræ à corpore, ita omnium creaturarum eſſe à divina dependet conſervatione

tione. Raym. de Sabaud. in Theol. natur. cap. 16.

34. Nec ſolùm conſervat Deus res creatas, ſed etiam gubernat eas, moderatur atq; dirigit.

35. Quamvis verò omnia divinæ gubernationi ſubjecta, peculiariter tamen Deo curæ eſt genus humanum, & cum primis ex genere humano collecta Eccleſia.

36. Hac Providentiâ ſuâ inſtitutum Naturæ curſum DEUS ordinariè conſervat.

37. Sic enim res adminiſtrat, ut eas proprios motus exercere ſinat.. Aug. 7. de Civ. Dei cap. 30.

38. Agit Providentia divina ordinariè per media, in illis tamen noſtra non recumbat fiducia.

39. Nulla enim eſt cauſarum ſecundarum efficacia, quæ non deſcendit à prima cauſa.

40. Quin nec ad media eo modo alligata

ligata eſt Providentia, quò minùs abſque illis opera ſua exequi poſſit.

41. Omnium ſecundarum cauſarum virtus eminenter & cauſaliter eſt in prima.

42. Facilè igitur cauſarum ſecundarum defectus ſuppleri poteſt à virtute primæ.

43. Poſitis cauſis ſecundis in actu, nihilominus divina Providentia effectum earũ mutare ac impedire poteſt.

44. Cùm cauſæ ſecundæ abſq; influxu primæ agere nequeant.

45. Quinimò ex cauſis ſecundis alium effectum divina Providentia ſcit producere, quàm ipſarum naturalis fert proprietas.

46. Qui Naturæ leges & ordinem dedit, Naturæ legibus & ordini non eſt alligatus.

47. Hanc, quâ ſuſtentantur ac diriguntur, Providentiam, ipſa bruta naturali inſtinctu quodãmodo ſentiunt.

48. Peculiariter Deo curæ eſt humanæ vitæ ingreſſus, progreſſus atq; egreſſus.

49. In utero formare, Job. 10. v. 8. ex utero extrahere, ψ. 22. v. 10. dicitur.

50. Vitam noſtram ita regit, ut ne decidui quidem illi capitis pili abſq; voluntate ipſius decidant. Matth. 10. v. 30.

51. Conſtituit homini terminum, quem præterire nequit. Job. 14. v. 5.

52. Ita tamen moderatur vitæ humanæ curſum atq; exitum divina Providentia, ut cauſas ſecundas nec excludat, nec ad eas ſit alligata.

53. Hinc intelliges conjugia ita eſſe fatalia, ut interim quandoq; ſint fatualia;

54. Ac terminum vitæ certum quidem eſſe, nec tamen Parcarum quadam lege & Stoica neceſſitate abſolutum.

55. Ut

55. Ut vitam, ita quoq; actiones hominum moderatur divina providentia.

56. Aliter tamen concurrit ad actiones bonas, aliter ad malas.

57. Actiones civiliter bonas ita moderatur, ut non solùm Naturam agentem conservet, & agendi vires concedat, sed etiam actiones illas probet, juvet & peculiariter ad eas quandoq; impellat.

58. Actiones spiritualiter bonas ita præcipit & probat, ut per Spiritum suum in nobis & per nos eas efficiat.

59. Malas verò actiones nec præcipit, nec vult, nec juvat, nec ad eas impellit.

60. Mali enim non tàm efficiens, quàm deficiens causa quærenda est. August. 12. de Civ. Dei cap. 7.

61. Cùm sit defectus potiùs à Dei opere, quàm opus aliquod. Id. 14. de Civ. Dei cap. 11.

62. Deus perfectiſſimus & puriſſimus actus deficere non poteſt, cauſa ergò mali eſſe nequit.

63. Concurrit autem divina Providẽtia in malis actionibꝰ præſciendo, Naturam ſuſtentando, permittendo, deſerendo, Satanę tradendo, metas præfiniendo, & bonum ex illis eliciendo.

64. Indurat ἀποφατικῶς non emolliendo, στερητικῶς qualemcunq; mollitiem auferendo, παραδοτικῶς hominem ſibiipſi & Satanæ indurandum tradendo, ὑλικῶς ſigna & prodigia oſtendendo, καὶ διατακτικῶς duritiem ad bonum finem dirigendo.

65. Hinc Suidas ex veteribus, DEUS omnia adminiſtrat κατ᾽ οἰκονομίαν, κατ᾽ εὐδοκίαν in bonis, κατὰ συγχώρησιν in malis.

66. Permiſſio illa non eſt imprudentis, neq; ſimpliciter inviti, neq; curantis, neq; otioſè ſpectantis, neq; hominum ac Satanæ molitionibus liberum

campum

campum aperientis, ſed juſtiſſimi vindicis, ac ſapientiſſimi Moderatoris.

67. Peccata peccatis Deus eo modo punit, ut tamen peccatorum cauſa non ſit.

68. Cumq́; divina Providentia cauſas ſecundas non excludat, nec earum qualitatem ordinariè immutet, inde ratione & reſpectu particularis cauſæ quædam dici poſſunt fortuita ac caſualia, quæ tamen Univerſalis cauſæ ordinem non defugiunt.

69. Caſus & fortuna ſunt humanæ ignorantiæ voces. Auguſt. 5. de Civit. Dei cap. 9.

70. Pia divinæ Providentiæ meditatio hoc efficere in nobis poterit, ut in proſperis nec ſimus elati, nec in adverſis deſperabundi.

71. Totos nos & omnia noſtra committamꝰ ei, qui ita curat unumquemq; noſtrûm, tanquam ſolum curaret, & ita univerſos, ut ſingulos.

VII. APHO-

VII. APHORISMI THEOLOGICI DE ELECTIONE ET Reprobatione.

1. PRædestinatio est peculiaris quædam divinæ Providentiæ circa homines salvandos actio.

2. Per eam enim dirigitur creatura rationalis ad finem, qui proportionem ejus excedit, videlicet ad vitam æternam.

3. Quo sensu pars divinæ Providentiæ Prædestinatio constituitur, Thom. p. 1. q. 23. art. 1.

4. Doctrina de Prædestinatione silentii nube non est involvenda, cùm in Scripturis à S. S. sit evoluta.

5. Tractetur autem sobriè, reverenter & prudenter.

6. Dicamus, non quod & quantum humani cordis curiositas desiderat, sed quod & quantum Spiritus sancti magisterium suppeditat.

7. Quod

7. Quod revelavit Deus ad nostram ædificationem, id non convertatur ad aliquorum destructionem.

8. Prædestinatio quoad quid nominis est non tantùm finis, sed etiam mediorum ad finem ducentium antegressa destinatio.

9. Prædestinatio & Electio in Scripturis pari passu ambulant.

10. Nullam igitur ad mortem æternam Prædestinationem agnoscimus.

11. Aliàs sequeretur, Deum etiam ad causas mortis æternæ, videlicet incredulitatem & peccata prędestinasse, quod impium.

12. Neq; enim sicut prædestinavit Deus Sanctos ad justitiam accipiendam, sic prædestinavit iniquos ad eandem amittendam. Fulg. lib. 1. ad Mon.

13. Aliàs sequeretur, Deum ad hoc homines quosdã prędestinare, q; ipse disposuit & præcepto prohibere, & misericordiâ diluere & justitiâ punire.

14. Præ-

14. Prædestinatio sive electio dicitur etiam in librum vitæ scriptio.

15. Neque enim Deo liber iste vitæ quosdam commemorat, ne ipsorum oblivione fallatur, sed Prædestinationem significat eorum, quibus æterna vita dabitur. Aug. 20. de Civ. Dei c. 15

16. Ut ergò nullus electorum perit, ita qui in libro vitæ scripti, nunquam ex eo delentur.

17. Illi autem propriè & juxta Scripturæ phrasin dicuntur in libro vitæ scripti, qui perseverante fide Christo adhærent.

18. Electio non minùs quâm creatio est immediata uni⁹ ac solius Dei actio.

19. Quæ ad Filium Dei non solùm ut est unus cum Patre & Spiritu sancto Deus, sed etiam ut est constitutus Mediator, spectat.

20. Quo sensu non solùm à Christo, sed etiam in Christo electi dicimur. Eph. 1. v. 4.

21. Est

21. Est autem actio non emanans, ſed immanens.

22. Atq; ea quidem ordinata, unde electi dicuntur ordinati ad vitam æternam. Act. 13. v. 48.

23. Ordinis illius rationem manifeſtat nobis Evangelium, per quod myſterium ſalutis noſtrę æternis temporibus tacitum in tempore revelatur, Rom. 16. v. 26.

24. Quo ſenſu facta dicitur electio
secundum τ. Dei propositum et præscientiam
κατὰ τ. θεȣ̃ πρόθεσιν καὶ πρόγνωσιν, Eph. 1. v. 11. 1. Petri 1. v. 2.

25. Πρόθεσις illa eſt conſilium & beneplacitum Dei de hominibus per fidem in Chriſtum ſalvandis.

26. Πρόγνωσις itidem ad fidei intuitum neceſſariò referenda, neq; enim omnis, quos quocunque modo Deus præſcivit, ſed quos in Chriſtum Spiritus ſancti gratiâ perſeveranter credituros prævidit, eos ad æternam vitam elegit.

27. Ele-

27. Elegit autem ex gratia, non ſecundum præviſa operum merita.

28. Gratiæ illius cauſa & fundamentum unicum eſt Chriſtus, in hoc dilecto gratis dilecti ſumus, Eph. 1. v. 6.

29. Cùm verò Chriſtus abſq; fide nemini proſit, ideò mentio Chriſti in hoc negotio includit notionem fidei.

30. Quo ſenſu non ſolùm in Chriſto, ſed & in fide electi dicimur. 2. Theſſ. 2. v. 14.

31. Viciſſim quia finis fidei, non προσκαίρου ſed conſtanter perſeverantis eſt vita æterna, ideò perſeverantia in fide ſimul connotatur.

32. Finis electionis reſpectu noſtri eſt ſanctificatio in regno gratiæ & glorificatio in regno gloriæ.

33. Reſpectu Dei finis electionis eſt ipſius gloria & miſericordiæ manifeſtatio conſpicua.

34. Abſolutè igitur errant, qui abſolutum electionis decretum fabricant.

35. Si

35. Si abſolutum eſſet decretum electionis, abſolutum quoq; eſſet decretum Reprobationis, cùm contrariorum eadem ſit ratio.

36. Sed abſoluto Reprobationis decreto adverſatur benefica Dei omnium hominum ſalutem ſeriò expetentis voluntas.

37. Quam Scriptura verbis, Chriſtus lachrymis, Deus ipſe juramento teſtatam facit.

38. Nihil abſoluti hîc cogitandum. Vult Deus & ſeriò vult peccatoris vitam, ſed vult etiam ejuſdem per verbum & Spiritum ſanctum converſionem.

39. Si peccator verbum illud repellit & Spiritui ſancto reſiſtit, atque ita non convertitur, vult Deus juſtam peccatoris damnationem.

40. Hæc ſibi invicem non repugnant, ſed mirabile juſtitię & miſericordię divinæ temperamentum manifeſtant.

41. Quæ de abſcondita Dei voluntate revelatæ in verbo contraria quidam proferunt, ea cùm non ſint revelata, meritò à piis abſconduntur.

42. Neq; ſolùm verbis teſtatur Deus, ſeſe omnium ſalutem ſeriò expetere, ſed etiam reipsâ.

43. In primo Adamo omnes (ratione ſeminali) condidit ad vitam æternam, in ſecundo Adamo omnes reparavit ad vitam æternam.

44. Primus Adam ad Imaginem Dei creatus, cujus pars erat immortalitas.

45. In primi illius parentis lumbis erant omnes homines, in ipſo igitur dici poſſunt, ad imaginem Dei & immortalitatem conditi omnes.

46. Hæc inveſtitura vitæ, quæ in primo parente omnibus contigit, cum abſoluta quorundam ad mortem prædeſtinatione manifeſtè pugnat.

47. Re-

47. Reparationem per Christum factam Universalem esse, qui negat, veritatem Solis radiis in verbo scriptam abnegat.

48. Non solùm indefinitè pro hominibus, sed etiam Universaliter pro omnibus, quin etiam specificè & notanter pro illis qui pereunt, Christus mortuus pronunciatur.

49. Mundi oris non sunt, qui pro potiore mundi parte talia dicta accipiunt.

50. Neq; enim minoris meriti fuit secundi Adami obœdientia, quàm culpæ primi inobœdientia.

51. Nudas suas δοκήσεις ἄτερ γραφῆς afferunt, qui Christum κατὰ δόκησιν tantùm pro pereuntibus mortuum esse disputant.

52. Non respondent sufficienter, qui Christum sufficienter tantùm, non autem efficienter pro omnibus mortuum esse dictitant.

53. Cùm cauſam illius inefficaciæ ad abſolutũ quoddam Dei decretum, non ad hominum culpam unicè referant.

54. Quod Chriſtus precioſo ſuo ſanguine omnibus peperit, id Spiritus ſanctus in precioſo verbi depoſito omnibus offert.

55. Offertur omnibus Evangelium, in Evangelio beneficia Chriſti, in beneficiis Chriſti gratia Dei, in gratia Dei vita æterna.

56. Et ſic Patris dilectio, Filii ſatisfactio ac Spiritus ſancti vocatio ſemper ſunt conjuncta.

57. Illa vocatio in ſe & ex ſe reſpectu Dei vocantis eſt Univerſalis, jubet enim omnibus prædicari Evangelium.

58. Particularis autem redditur hominum culpâ, qui deteſtando verbi contemtu & ſe & poſteros tanto theſauro ſpoliant.

59. Quo ſenſu ſemetipſos vitâ æternâ in

nâ indignos judicare pronunciantur, Act. 13. v. 46.

60. Si ad individua deſcendatur, fatemur multa in lumine gratiæ adhuc eſſe obſcura, quæ in lumine gloriæ olim omnibus erunt manifeſta.

61. Variata eſt per populos ac tēpora Dei vocantis gratia, abſoluto interim decreto non eſt aliquibus denegata. Proſper. 1. de vocat. gent. cap. 5.

62. Nec gratia Dei omnes vocantis deprimenda, nec vires liberi arbitrii gratiam acceptantis extollendæ.

63. Salus hominum agnoſcatur ſolius divinæ gratiæ donum; damnatio hominum ſtatuatur ſolius humanæ culpæ meritum.

64. Judicia Dei ſemper agnoſcantur eſſe juſta, licet non ſemper nobis ſint manifeſta.

65. Prævenit ac præparat nos divina gratia, antequam poſſimus; operatur in nobis, ut poſſimus; cooperatur

nobis, quando ipsius dono jam possumus.

66. Ex quibus omnibus apparet, nec electionis nec Reprobationis decretum esse absolutum.

67. Non exequitur tantùm Deus electionis decretum per Christum, sed fecit etiam in Christo electionis decretum.

68. Quo enim modo Deus in tempore homines justificat & salvat, eo etiam modo ab æterno eos justificare & salvare decrevit.

69. Actio Dei in tempore est speculum decreti de illa actione facti sine tempore.

70. Cujus causa est voluntatis divinæ immutabilitas.

71. Proinde ut omnes & solos perseveranter in Christum credentes in tempore Deus salvat; ita quoq; solos & omnes perseveranter in Christum credituros ab æterno salvare constituit,


tuit, hoc eſt, ad vitam æternam elegit.

72. Sobria igitur de Prædeſtinatione doctrina & meditatio incipiat à vulneribus Chriſti.

73. In verbi luce refulget nobis vera lux Chriſtus: in Chriſto fuget cor Dei ad ſalutem nos eligentis.

74. Extra verbi lucem & ſemitam quicquid hîc vel cogitando fingitur, vel ſermocinando profertur, caligo eſt, error eſt.

75. Contra verò verbi lucem ſequendo neq; ad dextram præſumptuoſæ temeritatis, neq; ad ſiniſtram carnalis ſecuritatis declinabimus.



VIII. APHORISMI THEOLOGICI DE IMAGINE DEI IN homine ante lapsum.

1. DEcretum Prædestinationis factum sine tempore subsecuta est hominis ad imaginem Dei creatio in tempore.

2. Imago illa Dei in primo homine utinam tàm obvia nobis ad sui notitiam, quàm præclara olim fuit ad summam generi nostro conciliandam gratiam!

3. Sed enim intellectum nostrum plena fugit ejus rei cognitio, cujus jamdudum (proh dolor) periit possessio.

4. Neque aliter de ea disserimus, quàm qui in carceris detenti tenebris præstantiam inquirunt sibi incognitæ lucis.

5. Imaginem illam Dei exponit Apostolus de justitia & sanctitate veritatis, Eph. 4. v. 24.

6. Quæ

6. Quæ cum in qualitatum & virtutum censu sint, vel ex eo apparet, minùs rectè Imaginem ad Naturam, similitudinem ad virtutes referri.

7. Eadem quoad substantiam in homine post lapsum mansit Natura, quæ fuit in eo ante lapsum.

8. Jam verò ad Imaginem Dei renovari dicimur, Proinde Imago Dei non est ipsa animæ rationalis essentia, quippe quæ est etiam in non renatis.

9. Quod per renovationem demùm obtinendum, id per carnis vetustatem non habetur.

10. Quod per regenerationis donum obtinetur, per carnalem generationem non possidetur.

11. Reparatur in renatis Imago Dei
renovatione ad agnitionem
ἀνακαινώσει εἰς ἐπίγνωσιν, Coloss. 3. vers. 10.

12. Lux illa divinæ agnitionis non est concreata animæ humanæ post lapsum proprietas, sed ex Spiritus

ſancti dono ac colluſtratione orta renatorum cum Deo conformitas.

13. Ex quo ſequitur, non eſſe definiendam Imaginem Dei illis rebus, quæ animæ hominis etiam non renati eſſentialiter competunt.

14. Juſtitia & ſanctitas illa primæva, in qua Imaginem Dei Apoſtolus conſtituit, complectitur lucem divinæ agnitionis & ſapientiæ in mente, conformitatem plenam cum lege Dei in voluntate, rectitudinem omnium animę virium & affectuum in corde.

15. Erat homo vivum ſapientiæ, bonitatis, caritatis, juſtitiæ, ſanctitatis & puritatis divinæ ſpeculum.

16. Ratio perfectè ſubdita erat Deo, voluntas rationi, affectus & reliquæ potentiæ voluntati.

17. Nullus in homine erat ſervilis metus, triſtitia nulla, beata in Deo creatore quies & exultatio perpetua.

18. Inde non ſolùm ex creaturis

Deum

Deum cognoſcebat exteriùs, ſed etiam vivas in ſeipſo divinæ cognitionis literas habebat interiùs.

19. Geſtabat homo Imaginem Dei, ut filius ſui patris, cui debet pietatem & amorem; ut ſervus ſui Domini, cui debet reverentiam ac timorem; ut miles ſui Ducis, cui debet obœdientiam & fidem; ut œconomus ſui heri, cui debet exactam diſpenſationis ſuæ rationem.

20. Innocentiæ & mundiciei interioris ſymbolum erat exterior hominis nuditas; quietem & felicitatem interiorem manifeſtabat Paradiſi inhabitatio.

21. Nullus erat in corpore motus, cui verecundia deberetur: nihil putabat homo velandum, quia nihil ſentiebat refrenandum. Aug. 11. de Gen. ad lit. c. 1.

22. Perfectioni primi hominis repugnat pugnam aliquam ſuperiorum & inferiorũ animæ virium ipſi tribere.

23. Nec

23. Nec ſana docent, qui languorem aliquem per juſtitiæ originalis antidotum ſanatum ac repreſſum in primo homine ſtatuunt.

24. Odio digni ſunt, qui concupiſcentiam malam & odio Dei dignam in primo homine conſiderato in puris naturalib⁹ ex materiæ conditione ortam actu primo fuiſſe diſputant.

25. Statuere, quod ex materiæ conditione per ſe mala in homine concupiſcentia oriatur, in Deum naturæ autorem injurium eſt.

26. Nec admittit Dei ſapientia ac potentia, ut præter ipſius intentionem ex materiæ conditione mala illa concupiſcentia dicatur orta.

27. Quis enim patienter audiat Dei operibus hoc tribui: Amphora cœpit inſtitui currente rotâ, mox urce⁹ exit?

28. Quid præter intentionem ejus oriretur, abſq; cujus intentione nihil oritur?

29. Qua-

29. Qualeſcunque illæ Imaginis divinæ reliquiæ poſt lapſum adhuc ſuperſtites homini naturales ſunt, utiq; ergò & primæva rectitudo primo homini fuit naturalis.

30. In homogeneis enim à Natura partis ad Naturam totius rectè proceditur.

31. Propagata fuiſſet Imago Dei in poſteros homines per naturalem generationem; jam verò quæ naturaliter propagantur, ipſa quoque ſunt naturalia.

32. Ex quibus omnibus apparet, Imaginem Dei non fuiſſe primi hominis externum quoddam & ſupernaturale ornamentum, quale eſt virginis ſertum & Samſonis robur; ſed decus quoddam intrinſecum & concreatum.

33. Neque tamen ipſa hominis ſubſtantia, vel pars quædam hominis eſſentialis fuit.

34. Cre-

34. Creatus dicitur homo ad Dei Imaginem, aliud ergò fuit homo ipſe, aliud Imago Dei in ipſo.

35. Sanctitas & juſtitia ſoli Deo competunt per eſſentiam, homini autem non niſi per inhærentiam.

36. Pars quædam divinæ illius Imaginis fuit immortalitas, fecit enim Deus hominem εὐθῆ καὶ ἐν ἀφθαρσίᾳ, Sap. 2 v. 23.

37. Mors illa corporis, cui poſt lapſum omnes ſubjecti ſumus, non eſt naturalis quædam hominis conditio, ſed eſt pœna deſcendens ex tranſgreſſionis maleficio:

38. Non eſt Naturæ à Deo inſtitutæ debitum, ſed hominis à Deo deficientis meritum.

39. Quomodo potuiſſet homo mortalis exiſtens Dei immortalis Imaginem in ſeipſo exprimere?

40. Peccati januam ubi pulſanti Satanæ homo aperuit, ibi demum mors ad

ipſum

ipſum & omnes poſteros intravit, Rom. 5. v. 12.

41. Immortalitas illa, ad quam primꝰ homo conditus, itidem ut ipſa tota Dei imago fuit naturalis & intrinſeca quædam Naturæ humanæ proprietas.

42. Exactiſſima erat in corpore omnium qualitatum harmonia, & regebatur ab anima ad imaginem Dei & immortalitatem condita.

43. Ut ergò poſt lapſum ſumus φύσει filii iræ ac mortis, Eph. 2. v. 3. ita primus homo ante lapſum fuit φύσει filius gratiæ & vitæ.

44. Alius tamen immortalitatis gradus fuit in Natura inſtituta, alius olim erit in Natura plenè reſtituta.

45. Primi hominis immortalitas erat poſſe non mori, electorum immortalitas olim erit non poſſe mori. Auguſt. 6. de Gen. ad lit. cap. 25.

46. Cũq; immortalitas fuerit pars di-

vinæ

vinæ imaginis, inde apparet, etiam in corpore hominis quodammodo Dei Imaginem reluxisse.

47. Decor limi arguebat etiam formositatem animi. Bernhard. Serm. 24. super Cant. col. 564.

48. Quærenti, an etiam Eva ad Imaginem Dei condita, respondemus, vocem Imaginis esse inter ea, quæ prædicantur ἀφ' ἑνὸς πρὸς ἕν.

49. Πρώτως & κυρίως refulgebat Imago Dei in animæ atque omnium hominis virium cum lege Dei conformitate, quæ utrique sexui salvâ graduum diversitate communis erat.

50. Δευτέρως relucebat Imago Dei in externo illo dominii privilegio, cujus eminentia viro propriè competebat.

51. Neve quid ad felicitatem homini deesset, præter gratiam animæ & corporis, etiam loci gratiam, h.e. Paradisi inhabitationem Deus ipsi concesserat.

52. Spi-

52. Spiritualis & corporeus erat à Deo homo conditus, duplicem igitur habebat Paradiſum ſpiritualem & corporeum.

53. Corporeus ſive terreſtris Paradiſus fuit ſimulacrum &
manuductio
παιδευτήριον Paradiſi cœleſtis, interioris ac ſpiritualis, hoc eſt, ſummæ tranquillitatis ac lætitiæ in hominis mente.

54. Corporeus Paradiſus, in qua parte terrarum ſitus fuerit, oſtendemus ei, qui talem terrarum ſitum, qualis ante diluvium fuit, apertè nobis oſtenderit.

55. Hortum illum adhuc ſupereſſe credemus ei, qui ramum aliquem ex eo nobis attulerit, vel idoneis fundamentis eum ſupereſſe demonſtraverit.

56. Vivunt omninò Henoch & Elias in Paradiſo non terreſtri illo, ſed cœleſti, quem latroni promittebat Chriſtus, Luc. 23. v. 43.

57. Hortum Paradiſiacum nobilitâ-

G runt

runt duæ cumprimis arbores; Arbor ſcilicet vitæ ac arbor ſcientiæ, Gen. 2. verſ. 9.

58. In arbore vitæ propoſitum erat homini morborum ac ſenii προφυλακτικὸν, uti etiam æternæ beatitudinis Sacramentum.

59. Arbor ſcientiæ erat hominis ara atque templum, cujus fructibus abſtinendo debitum creatori exhibendum erat obſequium.

60. Poſt lapſum ab eventu ſic dicta eſt, ſiquidem fructus illius decerpendo κατὰ πεῖραν homo didicit, quantum bonum per peccatum amiſerit, & quantum malum ſuâ ſibi inobœdientiâ accerſiverit.

61. Ex propagatione illa Imaginis divinæ à primo homine in poſteros, quæ ipſo permanente permanſiſſet, colligimus etiam animas fuiſſe propagatas.

62. Quod enim extra animam & ſine

ſine anima in corpore humano eſſe nequit, eo propagato neceſſe eſt etiam ipſam animam propagari.

63. Quam animarum propagationem adhuc perdurare, peccati originalis, quod in locum divinæ Imaginis ſucceſſit, propagatio arguit.

64. Ergò ut ex animata Adæ coſta animata formata eſt olim fœmina, ita ex animatis parentibus animati hodiè propagantur liberi.

65. Sententiam eorum, qui quotidianam & immediatā animarum creationem ſtatuunt, tum defenſuri ſumus, ſi evidenter docere noſmet poterunt, quomodo animæ ex Adamo non veniant, & tamen ex illo juſtam damnationis ſententiam inveniant. Auguſt. Epiſt. 157.

66. Propagationem animarum ſtatuimus, modum ꝓpagationis aliis inquirendū ac diſcutiendū relinquimus.

67. Dicitur Deus animas dare, quia

omnium causarum naturalium activitas ab ipso. Scal. ex. 188. sect. 1.

68. Nimis autem largè ex eo infertur, quod det animas per immediatam creationem, cùm & corpus in utero formare dicatur. Job. 10. v. 9.

69. Modestiam eorum non improbamus, qui fidei suæ sufficere dicunt, scire quò piè vivendo venturi sint, etsi nesciant, unde venerint. Aug. 10. de Gen. ad lit. c. 23.

70. Origo animæ lateat, modò peccati originalis propagatio & animarum redemtio clareat. Idem Epist. 157. ad Optat.

71. Imaginem Dei, si juxta Scripturæ phrasin de justitia & sanctitate vera accipiatur, amissam esse Spiritus S. arguit & experientia nos convincit.


72. Quid enim aliud est peccatum originis, quàm carentia divinæ Imaginis, quæ successit in locum primævæ istius integritatis?

73. Ita

73. Ita tamen amissa est hæc Imago, ut tenues quædam ipsius reliquiæ sint superstites, quæ sunt veluti ἐρείπια & magni nominis umbra.

74. Hæc de Imagine Dei doctrina ad bonitatis divinæ & miseriæ nostræ agnitionem nos deducit, ac spei nostræ expectationem fulcit.

75. Laus sit Deo Patri, qui in Adamo ad sui imaginem nos condidit; laus sit Filio, qui instaurationem illius Imaginis nobis iterum promeruit; laus sit Spiritui sancto, per quem Imago illa in nobis vicissim instaurari incipit.



IX. APHORISMI THEOLOGICI DE PECCATO ORIGINALI, hoc eſt, de lapſu primorum parentum & eum ſecuta Naturæ corruptione in poſteros propagata.

1. IN concreata integritate & perfectione primus homo non perſtitit, ideò etiam ad poſteros hereditario jure ea non pervenit.

2. Secutus eſt fallacem ſerpentis perſuaſionem, inde incidit in nefariam præcepti divini tranſgreſſionem.

3. In ſerpente illo naturali latebat ſerpens infernalis.

4. Perſonatus igitur & Diabolo ſtipatus ſerpens fuit, qui primos homines aſtutiâ ſuâ ſeduxit.

5. Aggreditur mulierem ſapientiæ dotibus viro nō omnimodè ęqualem.

6. Per inſidioſam de ſenſu præcepti interrogationem ſolicitat ipſam ad

peri

periculosam dubitationem.

7. Exteriùs fictâ voce interrogat, interiùs animum venenatis spiculis vulnerat, ac dubitationis virus ei inspirat.

8. Postea successu audacior factus Evæ dubitationem convertit in apertam negationem.

9. Malevolentiæ Deum accusat ipsemet malevolentissimus, mendaci divinæ eminentiæ ac sapientię pollicitatione decipit, ipse à divina sapientia remotissimus.

10. Causæ igitur primævi lapsus sunt Diabolus seducens & homo liberè consentiens.

11. In societatem hujus lapsus Deus, utpote bonus & nullius nisi boni autor, neutiquam pertrahendus.

12. Qualem Deus hominē initiò condidit, talē ipsum esse perpetuò voluit, ac ꝓinde ad lapsum occulto quodam

decreto vel Imperio non impulit.

13. Ejus rei Deus non est autor, cujus vindex est & ultor, iniquitatem, quam punit, ipse non fecit. Fulgent. lib. 1. ad Monim.

14. Antequam homo laberetur, ut posset non labi, perfectam facultatem, ut posset nolle labi, integram voluntatem Deus ipsi dederat; ne laberetur, severissimam mortis comminationem addiderat.

15 Non erat creatus homo, ut vellet peccare: interim in ea libertate constitutus, ut posset velle: tantâ luce ornatus, ut posset non velle.

16. Cave dixeris, homine non peccante, Deo defuisse occasionem exercendæ misericordiæ & justitiæ.

17. Non enim indiget Deus justitiâ recti, quantò minùs iniquitate perversi. Augustinus 11. de Genes. ad lit. cap. 7.

18. Nec perficitur Deus operibus

bus ad extra, quæ ſunt internæ perfectionis tantùm veſtigia ac documenta.

19. Incredulitatem primum hominis peccatum fuiſſe ſeries Moſaicæ deſcriptionis oſtendit.

20. Quamdiu verbum & fides in corde retinetur, adverſus Deum non ſuperbitur.

21. Et quicquid ſit de ordine interioris intentionis, incredulitas fuit primum peccatum in actu externo commiſſionis.

22. Neque mens hominis divinâ luce colluſtrata avertiſſet ſe à Deo per elationem, niſi priùs à verbo feciſſet ſeceſſionem.

23. Adamum negat Apoſtolus ſeductum, 1. Tim. 2. v. 14. quod de modo & ordine ſeductionis accipiendum.

24. Si vel maximè Adamus non eſt ſeductus ab alio, tamen ſeductus eſt à ſeipſo.

25. Adæ an Evæ peccatum gravius fuerit, otiosè quæritur, peccârunt impari ſexu, ſed pari faſtu. Auguſt. 11. de Gen. ad lit. c. 35.

26. Apertio oculorum lapſum inſecuta nihil aliud eſt quàm peccati ſenſus & trepidantis conſcientiæ ſtimulus.

27. Videbant ſe eſſe nudos, hoc eſt, concreatæ integritatis & innocentiæ veſte ſpoliatos; nuditas ante lapſum ipſis non erat incognita, ſed non turpis & probroſa.

28. Videbant carnem ſtimulis libidinum concitari & legem membrorum legi mentis turpiter reluctari.

29. Quantæ per lapſum tenebræ mentem occupaverint, vel ex eo apparet, quod arborum umbris exiſtimant ſe velari poſſe coram eo, cujus oculi Sole ſunt clariores.

30. Latere volebant eum, quem latere nihil poteſt, & carnem occultare

ab

ab eo, qui eſt inſpector cordis. Auguſt. 11. de Geneſ. ad lit. c. 34.

31. Cœcitati mentis conjuncta erat trepidatio cordis; terrebantur folii ſtrepitu, qui anteà gaudebant Dei alloquio & conſpectu.

32. Vocantur ad tribunal Dei, coram quo ipſorum causâ diſcutitur, & ſic culpam pœna premit comes.

33. Hoc primorum parentum peccatum Naturam humanam, quæ tota in ipſis erat, & de qua extra illos nihil erat, corrupit ac tabefecit. Anſh. de conc. virg. cap. 2.

34. Fuit Adam & in illo fuimus omnes, periit Adam & ipſo perimus omnes. Ambroſ. in cap. 15. Lucæ.

35. Parentibus feudum amittentibus idem amiſiſſe cenſentur liberi.

36. E corrupta radice fructus progerminant pravi, ex impuro fonte ſordidi

pro-

promanant rivuli, ex parentibus leprosis liberi generantur leprosi.

37. Sic ex primis parentibus justitiâ originali destitutis & peccati labe infectis nascuntur tales liberi justitia destituti, peccato infecti.

38. Neque enim ad DEI, sed ad suam Imaginem peccato corruptam Adamus filium genuit, Genes. 5. vers. 3.

39. Peccatum personale Adami corrupit Naturam, Naturæ corruptio per carnalem generationem propagatur in sobolis personam.

40. Peccavit Adam, non ut homo privatus, sed ut massa ac caput humani generis.

41. Ut Natura, ita quoque corruptio Naturæ in posteros propagatur; ut peccatum, ita quoque reatus, peccati consequens.

42. Atq; hoc est illud, quod dicitur origi-

originale peccatum, quod qui vel negant vel extenuant, gratię Dei non mediocriter detrahunt.

43. Prædicatores Naturæ ſunt inimici gratiæ.

44. De originali iſto peccato teſtantur non ſolùm manifeſta Spiritus ſancti oracula, ſed etiam peccata actualia omnia, gravis variarum calamitatum ac mortis ſarcina, denique regeneratio ad vitam æternam omnibus neceſſaria.

45. Vanum ergò ac frivolum eſt illud Pelagii, quod peccatum in mundum intraverit imitatione, non propagatione.

46. Siquidem mors, peccati ſtipendium, regnat etiam in eos, qui non peccârunt in ſimilitudinem prævaricationis Adæ, Rom. 5. v. 14.

47. Neque μιμησει (imitatione) sed φυσει (natura) nos eſſe iræ filios pronunciat Apoſtolus, Eph. 2. verſ. 3.

48. Pec-

48. Peccatum hoc originale dicitur non ab origine vel universæ vel humanæ Naturæ, sed ab origine cujusq; personæ post lapsum ex Adamo genitæ.

49. Quin & originale dicitur, actualium peccatorum ratione, quorum communis fons est atq; origo.

50. Quoad quid rei, est non tantùm originalis justitiæ στέρησις, sed etiam vitiosæ qualitatis θέσις, cujus utriusque ἑπόμενον est reatus.

51. Inde parentes faciunt nos antè damnatos quàm natos, Bernhard. in Medit. cap. 2. col. 1190.

52. Concupiscentia prava, in qua vis hujus mali cumprimis elucet, non tantùm pœna & causa peccati est, sed & ipsa peccatum.

53. Inest enim ei inobœdientia contra dominatum mentis. August. lib. 5. contra Julian. cap. 3.

54. Nec in inferioribus tantùm sed & superioribus animæ facultatibus

pravæ

pravæ concupiſcentiæ vitium habet locum.

54. Siquidem voluntas hominis nondum regenerati itidem prona eſt ad mala & vanitates.

55. Inter opera carnis referuntur hæreſes, idololatria, inimicitiæ &c. Gal. 5. v. 20.

56. Ex quo evidenter colligitur, carnem accipi pro toto homine, qualis eſt poſt lapſum extra Dei gratiam & regenerationem.

57. Per peccatum originis tota hominis Natura intimè ac penitiſſimè eſt corrupta, interim vitium diſtinguendum ab ipſa hominis ſubſtantia, quæ eſt Dei & Naturæ beneficium.

58. Peccatum eſt malum adhaerens κακὸν παρακείμενον, Rom. 7. v. 21. Ergò non aliquid per se subsistens αὐτοϋπόστατον.

59. Concipiuntur homines in peccato, ergò non ſunt ipſum peccatum.

60. Subjectum originalis peccati eſt

totus

totus homo cum omnibus animæ viribus & corporis membris.

61. Justitia orignalis erat non tantùm æquabile corporis temperamentum, sed etiam omnium animæ virium rectitudo & intrinsecum ornamentum.

62. Sic peccatum originis quod in ejus locum successit, non est morbida aliqua corporis qualitas, sed omnium animæ virium infectio.

63. Habitus enim & privationes circa idem versantur subjectum.

64. Propagatur hoc malum per carnalem generationem.

65. Ideò homo post lapsum est caro, quia ex carne nascitur, Joh. 3. v. 3. Naturâ est filius iræ, Eph. 2. v. 3. nascendo igitur peccatum contrahit, propter quod est filius iræ.

66. Quotquot igitur per carnalem generationem ex parentib. nascuntur, peccato originali obnoxii nascuntur.

67. Pro-

67. Proinde ipſi quoq; fidelium ac renatorum liberi originalē hanc luem ſecum in mundum afferunt.

68. Neq; enim generatio ſed regeneratio Chriſtianos facit. Auguſt. 3. de peccat. merit. & remiſſ. cap. 9.

69. Fiunt, non naſcuntur Chriſtiani. Tertull. in Apolog. cap. 17.

70. Solus ille ſine peccato natus, qui ſine virili ſemine in utero virginis à Spiritu ſancto conceptus.

71. Non eſt peccati labe infectus, qui ex ſanctificatis viſceribus ſanctus natus.

72. In cujus dignitatis conſortium ne ipſam quidem B. virginem admittimus.

73. Dicimus Mariam glorioſam de Spiritu ſancto concepiſſe, non autem & conceptam fuiſſe; dicimus peperiſſe virginem, non tamen & partam à virgine. Bernh. Epiſt. 174. ad Lugdun.

74. Quidam peccati originalis ef-

fectus ſunt tantùm pœnæ, quidam ſimul pœnæ & peccata.

75. Pœnæ ſunt tùm temporales, tùm ęternę; utpote calamitates variæ, morborum agmina innumera, mors temporalis, ira Dei, damnatio æterna.

76. Pœnæ & peccata ſimul ſunt pravi concupiſcentiæ motus, damnabiles cordis affectus, & actualium peccatorum cumulus.

77. Originalis peccati culpa pronos nos ſemper trahit ad vitia. Caſſiodor. in ψ. 118.

78. Actualium iſtorum peccatorum numerus verè eſt nobis innumerus, quis enim delicta intelligit? ψ. 19. v. 13.

79. Ab omnibus peccatis tàm ab originali, quàm ab actualibus credentes emundat ſanguis Jeſu Chriſti, 1, Joh. 1. v. 8.

80. Quo aſpergimur in Baptiſmo, qui ob id ſanctum & ſalutare eſt ϖα-


λιγſε-

λιγγενεσίας lavacrum, Tit. 3. v. 5.

81. Cui regenerationi individuo nexu conjuncta est renovatio, quæ in hac vita non est numeris omnibus absoluta.

82. Si enim perfecta in Baptismo novitas fieret, non diceret Apostolus, interiorem hominem renovari de die in diem, August. 2. de peccat. merit. & remiss. cap. 7.

83. Agnitâ proinde extremâ Naturæ nostræ corruptione ad Medicum Christum & perfectam ἀνακαίνωσιν in vita æterna expectandam suspiremus.



X. APHORISMI THEOLOGICI DE LIBERO ARBITRIO, hoc eſt, de viribus humanis poſt lapſum adhuc reliquis.

1. PEccati Originalis venenum omnes hominis vires penitiſſimè invaſit atq; intimè corrupit.

2. Inde magnum ipſis acceſſit decrementum & detrimentum.

3. Vires hominis æſtimandæ potiſſimum ex anima rationali ad imaginem Dei condita.

4. Animæ rationalis facultates duæ ſunt, Mens intelligens, Voluntas eligens.

5. Ex utriusq; potentiæ συνδρομῇ & concurſu naſcitur id, quod vulgò vocatur liberum arbitrium, προαίρεσις.

6. Quod eſt mentis & voluntatis facultas, arbitrium enim mentis eſt, Libertas voluntatis.

7. Li-

7. Libertas tribuitur arbitrio primùm habito reſpectu ad modum agendi, qui eſt liber & voluntarius.

8. Neq; enim cogitur aut violenter externo motu rapitur voluntas, neq; ex naturali ſolùm inſtinctu agit, ſed internum & liberum habet motus ſui principium.

9. Hæc libertas eſt naturalis atq; eſſentialis voluntatis proprietas.

10. Ac proinde per lapſum non eſt amiſſa.

11. Neq; enim per lapſum voluntas deſiit eſſe voluntas.

12. Dicitur hæc libertas à coactione, à neceſſitate; libertas interior & in ſubjecto.

13. Proinde arbitrium hominis hoc reſpectu ſemper liberum, licet non ſemper bonum. Auguſt. in Enchir. cap. 30.

14. Ita tamen libera hominis voluntas, ut Dei Imperium agnoſcere cogatur.

15. Ac proinde non eſt libera à jure & obligatione.

16. Impreſſit enim DEUS humanæ menti notitias naturales, quarum lucem & ductum voluntas debet ſequi.

17. Illas ſi ſequitur, verè libera eſt.

18. Cum vera ſit libertas Deo ac juſtitiæ ſervire.

19. Quo ſenſu non malè Tullius: Legum ſervi ſumus, ut liberi eſſe poſſimus, pro Cluent.

20. Ergò ut reſpectu libertatis à coactione homo ſemper habet liberum arbitrium, etiam poſt lapſum:

21. Ita reſpectu libertatis ab obligatione homo nunquam habet liberum arbitrium, ne quidem ante lapſum.

22. Æſtimatur etiam libertas arbitrii reſpectu & ratione objecti, quod eſt bonum vel malum.

23. Hæc vocatur libertas ad objectum & interior.

24. Qua-

24. Qualis ſit illa voluntatis humanæ libertas ex conſideratione diverſorum hominis ſtatuum innoteſcet.

25. Libertas arbitrii in homine ante lapſum fuit facultas rationis ac voluntatis, quâ potuit homo peccare & non peccare, ſtare & cadere. Ansh. de lib. arbitr. cap. 7.

26. Nondum enim voluntas ipſius erat immutabiliter ad bonum determinata.

27. Conſtituta erat hominis voluntas in bivio, propoſita ipſi erat vita & mors, Eccleſ. 15. v. 18.

28. Fulgebat in mente lux ſapientiæ, in voluntate erat conformitas cum Deo archetypo: relicta interim libertas in concreata bonitate perſeverandi, vel ab ea deficiendi.

29. Hæc dici poteſt libertas rectitudinis, libertas à ſervitute & miſeria.

30. Nec fuit essentialis quædam voluntatis proprietas, sed separabile quoddam accidens.

31. Per lapsum siquidem amitti potuit, & verè proh dolor est amissa.

32. Homo malè utens libero arbitrio, & se perdidit & ipsum. August. in Enchir. cap. 30.

33. Quo respectu arbitrium hominis non ampliùs est liberum, sed servum & captivatum.

34. Homo faciens peccatum, servus factus est peccati. Johan. 8. v. 34.

35. Amissâ per lapsum Dei imagine, libertas rectitudinis & facultas bonum eligendi simul est amissa.

36. In cujus locum successit extrema virium corruptio, & effrenis ad malum impetus.

37. Inde ad mala tantùm libera est post lapsum hominis voluntas, quæ est misera & miserabilis libertas.

38. Ac tristissimæ servitutis loco potiùs habenda.

39. Apo-

39. Apoſtolus eam vocat libertatem à juſtitia, homo enim juſtitiæ ſervire detrectans jugo malæ dominæ iniquitatis ſubditus factus eſt. Rom. 6. v. 20. Auguſt. de verb. Apoſt. ſerm. 12.

40. Anima hominis ſub hac voluntaria & malè libera neceſſitate & ancilla tenetur & libera;

41. Ancilla propter neceſſitatem, libera propter voluntatem. Bernhard. ſerm. 81. ſup. Cant.

42. Voluntas hominis poſt lapſum prona eſt ad malum, neq; tamen libera eſſe deſinit, quia ad malum non cogitur, ſed ſpontè illud eligit.

43. Unde appparet, libertatem voluntatis interiorem cum peccandi ſervitute conſiſtere poſſe.

44. Perinde ut libertas cum immutabilitate agendi bonum & confirmatione in bono conſiſtit.

45. Quarum prior competit Deo, poſterior bonis Angelis.

46. Mansit igitur in homine etiam post lapsum liberum arbitrium, si de libertate à coactione intelligatur.

47. Periit in homine liberum arbitrium, si de δυνάμει bonum eligendi & malum aversandi accipiatur.

48. Siquidem in locum concreatæ lucis, quę in mente primi hominis fulgebat, successerunt tenebrę, Eph. 5. v. 8.

49. Proinde intellectus hominis in salutari & salvifica Dei cognitione non tantùm cœcutit, sed planè est obtenebratus.

50. Voluntas peccati Tyrannidi subjecta est, ejusdēq; mancipium factum.

51. Quo respectu homines dicuntur in peccatis mortui, Coloss. 2. v. 13.

52. Qui per Naturam nihil aliud possunt, quàm in peccatis fœtere & in sepulchro peccatorum computrescere.

53. Proinde conversio est solius Dei opus, in quo merè passivè homo sese habet.

54. Deus

54. Deus eſt, qui cor hominis in converſione aperit, emollit, circumcidit ac renovat.

55. Deus eſt, qui non solùm perficere bonum, ſed etiam velle bonum in homine operatur, Philip. 2. v. 13.

56. Externam quidem locomotivam homo librè regit, ac proinde civilem aliquam juſtitiam præſtare poteſt.

57. Quæ in ſe ex genere actus peccatum quidem non eſt, interim quia perſona nondum eſt Deo reconciliata, καθ' ἄλλο fit peccatum.

58. Ut firmum ſemper maneat pronunciatum Apoſtolicum: quicquid nõ fit ex fide, peccatum eſt, Rom. 14. v. ult.

59. Siquidem ut opera verè & coram Deo ſint bona, benè, à bonis & bono fine ea fieri oportet.

60. Quamvis igitur in actionib. externis ad humanã vitam vel etiam externum religionis exercitium ſpectantib⁹ libertas aliqua humanæ voluntati ſit relicta.

61. Gen-

61. Gentiles ſiquidem ea, quæ legis ſunt, φύσει Naturâ facere Apoſtolus pronunciat Rom. 2. v. 14.

62. Tamen ad motus ſpirituales inchoandos, & ad cultum Deo placentem præſtandum, nullæ ne modiculæ quidem in homine vires ſuperſunt.

63. Neq; enim ſumus idonei cogitare aliquid boni ex nobis tanquam ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt, 2. Cor. 3. v. 5.

64. Sancta igitur cogitatio, bonum propoſitum, pium conſilium, omnisq́; motus bonæ voluntatis ex Deo eſt, per illum aliquid boni poſſumus, ſine quo nihil poſſumus. Aug. de dogm. Eccleſ. cap. 17.

65. Illa ipſa tamen in externis actionibus & operibus præſentis vitæ libertas ſuis non deſtituitur remoris atque impedimentis.

66. Sæpè conſultant homines, ſed conſilia ipſorum diſſipat omnia moderans

derans Deus. Esai. 8. v. 10.

67. Disponit Dominus, tantùm proponere nostrûm est; Sæpeq; vota aliud quàm pia fata volunt.

68. Magna insuper est Satanæ tyrannis, qui reproborum voluntates peccatorum funibus irretitas, quò lubet, Dei permissu trahit.

69. Ipsa negotiorum moles mentis judicium & voluntatis arbitrium sæpè turbat.

70. Quibus impedimentis externis accedit interior humanarum virium etiam in externis rebꝰ languor ex peccato ortus;

71. Cui conjuncta affectuum inordinatio ἀταξία, torrentis instar voluntatem quandoq; abripiẽs, & mentis judicium intervertens.

72. Quæ consideratio virium in spiritualibus deperditarum, in externis infirmatarum magnitudinem gratiæ divinæ nos convertentis & salvantis

agno-

agnoſcendam proponit, ſecuritatem cordibus excutit, ſuperbiæ criſtas deprimit, in precibus & cuſtodia donorum Spiritus diligentiores efficit.

73. Poſt converſionem voluntas hominis liberata non eſt otioſa, ſed novis illis deſuper datis viribus efficax, & θεοῦ συνεργός.

74. Spiritus ſanctus ut bonum velimus, ſine nobis in nobis operatur, cùm autem volumus & ſic volumus, ut faciamus, nobiſcum cooperatur.

75. Ita enim aguntur Filii Dei, ut etiam ipſi agant. Auguſt. de corr. & grat. cap. 2.

76. Hæc vocari poteſt libertas à ſervitute peccati, ubi enim Spiritus Domini hominem regenerans & illuminans, ibi libertas, 2. Cor. 3. v. 17.

77. Interim ipſa illa liberatæ voluntatis libertas Spiritus ſancti adjutorio ac regimine perpetuò indiget.

78. Etenim cùm in renatis caro adhuc

huc

huc reluctetur Spiritui, Gal. 5. vers. 17. ideò nundum plenè sunt ab omni peccato liberi.

79. Est in Spiritu renatorum libera servitus, est in carne renatorum serva libertas.

80. In altera demum vita consequentur plenam arbitrii libertatem, quâ non solùm à peccandi servitute, sed etiam ab omni omninò peccato, ab omni miseria, & lapsus periculo erunt liberi.

81. Quæ vocari potest libertas à peccato & mutabilitate.

82. Per quam non solùm non peccabunt, nec solùm poterunt non peccare, sed etiam non poterunt peccare; ad eam libertatem provehat nos Christus libertatis nostræ vindex.



XI. APHO-

XI. APHORISMI THEOLOGICI DE LEGE.

1. HOminis reparationi inſerviunt Verba & Sacramenta, ſalutaria ſpiritualis noſtri morbi alexipharmaca.

2. Verbi ſumma Capita duo ſunt, Lex & Evangelium.

3. Lex manifeſtat morbum, Evangelium verò oſtendit Medicum.

4. Lex per Moſen data, gratia autem & veritas per Jeſum Chriſtum nobis contigit, Joh. 1. v. 17.

5. Legis per Moſen datæ tres ſunt claſſes: Moralis, Judicialis & Ceremonialis.

6. Lex Moralis ſolenni promulgatione per Moſen tantùm repetita, primitùs enim cordibus hominum erat inſculpta.

7. Eſtq; ſpeculum æternæ Dei juſtitiæ, ſpeculum perfectionis Naturæ

ante

ante lapſum priſtinæ, ſpeculum peccati & corruptionis Naturæ poſt lapſum intimæ, ſpeculum obœdientiæ à renatis præſtandæ, ſpeculum perfectionis in futura vita ſecuturæ.

8. Legem hanc, qui ex Eccleſia eliminandam cenſent, ipſi eliminandi ſunt.

9. Chriſto enim contradicunt, qui à legis explicatione prædicationis ſuæ fecit exordium, Matth. 5. 6. 7.

10. Contradicunt Apoſtolis, qui pœnitentiam & remiſſionem peccatorum in Chriſti nomine prædicârunt. Luc. 24. v. 47.

11. Sanè Lex eſt peccati ſpeculum, non remedium.

12. Interim tamen morbo nondum agnito, nullum remedii eſt deſiderium.

13. Neq; enim opus habent Medico valentes, Matth. 9. v. 12. id eſt, qui ſe valere opinantur, omnes enim reverâ

non ſolùm ægroti, ſed & mortui ſunt in peccatis.

14. Lex datur, ut gratia quæratur. Auguſt. de Spir. & lit. c. 19.

15. Quod Lex imperat, fides impetrat. Idem homil. 29. in Joh.

16. Per Legem peccati cognitio, per fidem abolitio, Ambroſ. in 3. cap. Rom.

17. Ideoque miniſterium mortis ob id neceſſarium, ut vita in Chriſto deſideretur.

18. Non infundit Deus miſericordiæ oleum niſi in vas contritum & confractum. Bernh. ſerm. 3. in Annunc. col. 113.

19. Nec ignoſcit, niſi agnoſcas: nec tegit peccata, niſi detegas; nec conſolatur, niſi doleas.

20. Lex eſt perfecta ad æternam vitam via, ſed infirmatur per carnem, Rom. 8. v. 3. unde redditur ad vitam nobis invalida.

21. Lex ſpiritualis eſt, integram corporis,

poris, animæ & ſpiritus, internam & externam, per omnes vitæ partes obœdientiam exigit; actiones, verba & cogitationes ſpirituales flagitat; Naturam omnibus modis ſanam requirit.

22. Nos autem carnales ſumus, Rom. 7. verſ. 14. naſcimur caro de carne, Johan. 3. verſ. 6. nec à carnis vetuſtate in hac vita penitùs liberamur.

23. Proinde legem in hac vita implere non poſſumus.

24. Non eſt homo qui non peccet, 1. Reg. 8. verſ. 46. ſed peccare & Legem implere ſunt contradictoria, Ergò non eſt homo, qui Legem impleat.

25. Obſtruitur igitur omne os & totus mundus obnoxius fit Deo, Rom. 3. v. 19.

26. DEUS voce Legis concluſit omnia ſub peccatum, Rom. 11. verſ. 32. Gal. 3. v. 22.

27. Norma præceptorum affirmativorum est primum illud de amando & timendo Deo super omnia.

28. Norma præceptorum negativorum est ultimum illud de non concupiscendo. August. de perfect. justit.

29. Proinde præceptis affirmativis non satisfit qualicunq; inchoato amore & timore Dei.

30. Nec præceptis negativis satisfit qualicunq; ab externis delictis continentiâ.

31. Si vel maximè inchoamus obœdientiam externam, & delicta externa cavemus, semper tamen deficimus in primo & ultimo præceptis.

32. Ideò autem in Decalogo fit externi & crassioris delicti expressa notatio, ut quid de gravitate internorum delictorum judicandum sit, ex Dei judicio mens humana intelligat.

33. Coram Deo adulter est, non solùm, qui cum alterius conjuge rem habet,

bet, ſed etiam qui alteri⁹ uxorem concupiſcit, Matth. 5. v. 28.

34. Coram Deo fur eſt, non ſolùm qui alteri res ſuas ipſo invito aufert, ſed etiam qui prohibitâ concupiſcentiâ eas uſurpat.

35. Nec manui ſolùm & externis membris Deus præcipit, ſed toti homini.

36. Quis verò poteſt dicere, mundum eſſe à concupiſcentiis cor ſuum? Prov. 20. v. 9. Proinde quis gloriari poteſt, ſe non eſſe tranſgreſſorem Legis?

37. Promiſſiones ergò Legis nobis ſunt inutiles.

38. In Chriſto autem ſunt ratæ & Amen, 2. Cor. 1. v. 20.

39. Quod impoſſibile erat Legi, id Deus miſſo Filio nobis præſtitit, Rom. 8. v. 3.

40. Si verò per Legem juſtitiæ, Chriſtus fruſtrà mortuus, Gal. 2. v. 21.

41. Ac ſi renati perfectè implent Le-

gem, cur quotidie orant debitorum remissionem? ita eos docente ac manuducente Christo, Matth. 6. v. 11.

42. Quodcunq; debitum non contrahitur, ejus remissio cur expetitur?

43. Graves sunt Mosis manus & jugum Legis importabile, Exod. 17. v. 12. Bernh. serm. 3. in Cantic.

44. Radiat Mosis facies, ἀτενίσαι εἰς αὐτὴν non possumus, Exod. 34. v. 29. 2. Cor. 3. v. 13.

45. Gravis & difficilis Mosis lingua, auscultare & obsequi ejus verbis non possumus, Exod. 4. v. 10.

46. Lapideæ sunt Decalogi tabulæ, conterunt cor nostrum, non sanant, Exod. 24. v. 12.

47. Nec in terram promissam Moses sed Josua introduxit; cœlestis Josua Christus, non Moses ad vitam ęternam nos ducit.

48. Lex malleus mortis est, tonitru inferni & fulmen iræ divinæ.

49. U-

49. Utilitas Legis eſt, ut hominem de ſua infirmitate convincat, & gratiæ medicinam, quæ eſt in Chriſto, implorare compellat, Auguſt. Epiſt. 200. ad Aſell.

50. Diſcamus ergò agnoſcere vocem Legis, ut vocem Paſtoris noſtri Chriſti propriam agnoſcamus.

51. Quicquid oſtendit peccatum, iram & mortem, id exercet Legis officium, ſive in Veteri ſive in Novo Teſtamento id fiat.

52. Non ergò Veteri Teſtamento Legem, Novo Evangelium appropriem⁹.

53. Facta quidem ſub Veteri Teſtamento ſolennis Legis promulgatio, in Novo Evangelii.

54. Interim tàm Legis, quàm Evangelii doctrina ſub utroq; Teſtamẽto ſonuit.

55. Nec in Novo ſolùm, ſed & Veteri Teſtamento per Legem peccati agnitio, per fidem in Chriſtum peccati abolitio.

56. Ceremoniales autem & Forenſes leges in N. T. abrogatæ ſunt.

57. Illæ enim fuerunt umbræ & typi Chriſti, exhibito igitur corpore expirârunt.

58. Hæ fuerunt ad Judaicam Politiam accommodatæ, quam Deus hiſce legum cancellis uſq; ad Chriſtum concluſam eſſe voluit.

59. Utrarumq; verò tàm Ceremonialium quàm Forenſium Legum abrogatio talis eſt, ut quod in illis morale eſt, ſive (ut loquuntur) genus, maneat.

60. Et Moſaicæ Ceremoniæ per allegoricam expoſitionem noſtræ ædificationi poſſunt accommodari.

61. Hæc de Lege in genere; quæritur in ſpecie de diſtributione Decalogi, & de Imaginibus.

62. Cardinalis numerus præceptorum Decalogi certus eſt, non autem ordinalis.

63. Res

63. Res ergò quæstionis est, non fidei, præceptorum Decalogi ordo.

64. Movenda igitur hac de re non sunt certamina non necessaria, quibus benè constitutæ Ecclesiæ turbentur; nec libertas Christiana in hisce ut captivetur ab adversariis, permittendum.

65. Pro enumeratione in nostris Ecclesiis usitata ita concludim⁹: Quicquid est Deus alienus, prohibetur primo præcepto, Imagines quibus cultus divinus tribuitur, sunt Dii alieni. E. prohibentur primo præcepto.

66. Nec absurdè dicitur, binâ repetitione præcepti de non concupiscendo, geminum genus concupiscentiæ, videlicet actualis & originalis damnari.

67. Hujus enim distinctionis fundamenta ex Hebraica literatura & Apostolicis Scriptis proferri possunt.

68. Nec dici potest, præceptum de

Imaginibus peculiare præceptum ob id conſtituere, quod ſimpliciter earum uſus ſit prohibitus.

69. Invitâ enim veritate id affirmari, variis documentis probari poteſt.

70. Hiſtoricas Imagines Chriſtiana libertas admittit: idololatricas, ſuperſtitioſas, & laſciviæ notis contaminatas, Lex Dei abolet; eas quæ verè ſcandalum præbent, caritas è medio tollit.

71. Quotieſcunq; igitur accedit opinio cultus, ut Imaginibus deferatur honor divinus, vel exiſtimetur Imagines habere aliquid peculiare ſanctitatis, vel fingatur, Deum ita ad Imaginem aliquam alligatam eſſe, ut ibi magis exaudiat & efficax ſit, quàm alibi, non amplius earum uſus eſt adiaphorus.

72. Sed nec laudamus ſententiam Græci illius Peluſiotæ in Synodo VII.


templi cultus nullus, quod non ornat, simulachrum
ναὸς λόγος οὐδεὶς, ὃν οὐ στέφει ἄγαλμα.

83. Nec probam⁹ ſumtuoſarum Imaginum

ginum copiam, ne accidat id, quod Bernhardus col. 1134. conqueritur, ut ſplendidè fulgeat Eccleſia in parietibus, & egeat in pauperibus, lapides ſuos auro induat, & filios ſuos nudos deſerat, nevè de ſumtibus egenorum ſerviatur oculis divitum.

74. Ut ergò in aliis adiaphoris, ita & hac in parte requiritur prudentia Chriſtiana, ne intempeſtivo eorum uſu ſcandalum præbeamus infirmis, neq; tamen cedamus illis, qui ſubintroëunt ad tentandam libertatem, quam habemus in Chriſto, ut nos in ſervitutem redigant, Gal. 2. v. 4.

75. Legem ſuam cordibus noſtris per Spiritum inſcribat, qui eam lapideis tabulis digito ſuo olim eam inſcripſit.



XII. APHO-

XII. APHORISMI THEOLOGICI DE EVANGELIO.

mutuò respondet.

1. LEgi Evangelium est παράλληλον. 2. Utriusque doctrinæ origo est cœlestis.

3. Utraq; promittit vitam æternam, sed diversimodè.

4. Lex perfectè obœdientibus, Evangelium in Christum credentibus.

5. Utraq; doctrina in Ecclesia proponenda.

6. Utraq; enim in hominis conversione usum habet necessarium.

7. Utraq; in hominis Christiani pectore & praxi conjunctissima est.

8. Nihilo tamen minùs conjunctæ hæ doctrinæ accuratè sunt discernendæ.

9. Sublato enim vel saltem labefactato earum discrimine, ipsa arx Christianismi convellitur.

10. Neq; tamen talis quædam contra-

trarietas earum introducenda, quâ ſe mutuò deſtruant.

11. Lex enim non adverſatur promiſſionibus Dei, Gal. 3. v. 21.

12. Sed Lex ſtabilitur per fidem, Rom. 3. v. 31.

13. Quod Lex à nobis requirit, id à Christo noſtri loco præſtitum eſſe, Evangelium nunciat.

14. Finis ergò & impletio Legis Chriſtus, ad juſtitiam omni credenti, Rom. 10. v. 4.

15. Per Chriſtum τὸ δικαίωμα (justitia) Legis in nobis impletur, Rom. 8. v. 4.

16. Quin etiam fides à Spiritu ſancto per vocem Evangelii accenſa, per caritatem eſt efficax, Gal. 5. v. 6.

17. Summa autem legis eſt dilectio, Rom. 13. v. 10.

18. Atq; hoc pacto Lex cordibus inſcribitur, Jerem. 31. v. 33.

19. Nec tamen dilectio illa in hac vita eſt perfecta.

20. Pro-

20. Proinde nec obœdientia Legis.

21. Inchoatio eſt, complementum ſequetur in futura vita.

22. Evangelium quoad quid nominis, eſt bonum nuncium.

23. Nunciat enim in conſilio S. S. Trinitatis Chriſtum Deum atque hominem Mediatorem ac Redemtorem noſtrum conſtitutum eſſe:

24. Nunciat, Chriſtum ſanctiſſimâ ſuâ obedientiâ Legi perfectè ſatisfeciſſe, gratiam Dei, remiſſionem peccatorum, donationem S. S. juſtitiam & vitam æternam toti mundo ꝓmeruiſſe.

25. Nunciat, beneficia illa à Chriſto parta credentibus applicari & ex gratia donari.

26. Quia igitur hujus doctrinæ prædicatio, gaudii materiam uberrimam affert, meritiſſimè vocabulis Biſſer & ἐυαγγελίζεσθαι, in ea denotanda, Prophetæ & Apoſtoli uti voluerunt.

27. Biſſer quidam derivant à Baſar

caro,

caro, quod ſignificat, annunciare carnea & mollia.

28. Alii rationem appellationis hancce proferunt, quòd Biſſer ſignificet nunciare læta omni carni.

29. Ut ita conditio doctrinæ hujus indicetur, quòd ſua bona ultrò omnibus offerat.

30. Simulq; auditorum illius ſors exprimatur, quòd ſint caro & multis infirmitatibus obnoxii, ut proinde hanc ſalutem divinitùs oblatam neutiquam negligere debeant.

31. Biſſer & εὐαγγελίζεσθαι uſurpantur, quando hoſtes, à quibus magnum & anceps imminebat periculum, fugati & pax reſtituta nunciantur, 1. Sam. 4. v. 17. 1. Sam. 31. v. 9. 2. Sam. 1. verſ. 20. 2. Sam. 4. v. 10. 2. Sam. 18. v. 19.

32. Sic Evangelium nunciat DEUM nos liberaſſe è manu inimicorum, Luc. 2. v. 74. eripuiſſe nos ex poteſtate tenebrarum, Col. 1. verſ. 13. expoliâſſe

Prin-

Principatus & Poteſtates, ac triumphum de illis egiſſe, Col. 2. v. 15.

33. Biſſer & ἐυαγγελίζεσθαι etiam uſurpantur, quando nunciatur alicui natus filius, Jerem. 20. v. 15.

34. Sic in Evangelio nunciatur, Puer nobis natus, & Filius nobis datus, Eſa. 9. v. 6. qui dederit poteſtatem, filios Dei fieri omnibus, qui fide eum recipiunt, Joh. 1. v. 12. ut ita per ipſum υἱοθεσία iterum nobis contingat, Gal. 3. verſ. 5.

35. Uſurpantur denique hæ voces, quando captivis nunciatur liberatio, lugentibus conſolatio, Eſa. 61. v. 1. & 2.

36. Sic in Evangelio nunciatur, Chriſtum eduxiſſe nos vinctos è lacu, in quo non erat aqua, Zach. 9. v. 11.

37. Hinc lætiſſima illa acclamatio, Eſa. 40. v. 1. Conſolamini, conſolamini populum meum, dicit Deus veſter, & loquimini ad cor Jeruſalem, & prædicate illi, q; completa ſit militia ejus.

38. Inde

38. Inde etiam profluunt dulcissimę appellationes & periphrases hujus doctrinæ, utpotè quòd sit Evangelium gratiæ Dei, Actor. 20. v. 24. scientia salutis, Luc. 1. v. 77. verbum regni, Matt. 13. v. 19. potentia Dei ad salutem omni credenti, Rom. 1. v. 16. sermo vitæ, Actor. 5. v. 20. Phil. 2. v. 16. verbum vitæ æternæ, Joh. 6. v. 68. verbum salutis, Actor. 13. v. 26. verbum reconciliationis, 2. Cor. 5. v. 19. Lex Spiritus vitæ, Rom. 8. v. 2. Evangelium salutis nostræ, Eph. 1. v. 13. promissio hęreditatis, Rom. 4. v. 13. fons aquæ salientis in vitam æternam, Joh. 4. v. 14. pascua, aqua refectionis, mensa, calix exuberans, virga, baculus, ψ. 23. v. 2. 4. 5. odor vitæ, 2. Cor. 2. v. 15. &c.

39. Proinde læta illa vox Evangelii non est transformanda in Legem accusantem & terrentem.

40. Quod faciunt illi, qui disputant, Legem imperfecta tradere præ-

cepta de externis tantùm operibus, ex timore præstandis : Evangelium verò perfectiora, excellentiora & severiora præcepta proponere.

41. Quasi verò Lex non fuerit jam antè jugum, quod Patres nostri non potuerunt portare, Actor. 15. v. 10. jugum oneris, virga humeri & sceptrum exactoris, Esa. 9. v. 6. ut novo Legislatore indigeremus?

42. Aliæ ergò Legis & Evangelii quærendæ differentiæ, quas Scriptura sic exprimit.

43. Lex aliquo modo Naturâ nota est, Rom. 2. v. 14. 15. Evangelium verò est mysterium rationi penitùs absconditum, Matth. 16. v. 16. Rom. 16. vers. 25. 1. Cor. 2. v. 7. Eph. 1. v. 9.

44. Lex est doctrina operum & concionator de faciendo : Evangelium est doctrina fidei & concionator de facto, hoc est, annunciat per Christum, ea præstita esse, quæ Lex requirit, Rom. 3. v. 21.

v. 21. cap. 4. v. 5. cap. 10. v. 5.

45. Lex flagitat à singulis perfectam obœdientiam erga omnia Dei mandata: Evangelium verò docet fidem in Christum Mediatorem.

46. Lex concludit sub peccatum, Gal. 3. v. 22. facit reum coram Deo totum mundum, Rom. 3. v. 19. iram operatur, Rom. 4. v. 15. subjicit maledicto, Gal. 3. v. 10. Proinde est ministerium mortis & damnationis: Evangelium est verbum salutis, pacis & reconciliationis.

47. Utraque ergò doctrina versatur circa peccatum, sed diversimodè.

48. Lex ostendit, accusat, damnat peccatum: Evangelium v. ostendit eum, qui satisfecit pro peccato, ac proinde peccatum tegit, tollit, remittit.

49. Legis promissiones requirunt perfectam operum obœdientiam: Evangelii v. promissiones sunt gratuitæ.

50. Hinc legis ꝑmissiones nobis sunt in-

utiles, Heb. 7. v. 18. vitio ſcilicet carnis noſtræ, Rom. 8. v. 3. ſed in Chriſto promiſſiones Dei fiunt & ſunt ratę, 2. Cor. 1. v. 20.

51. Lex monſtrat, quæ ſint bona opera, non autem confert vires ea faciendi: Evangelium continet promiſſionem Spiritus renovationis, qui Legem ſcribit in corda, Jer. 31. v. 33.

52. Utrumq; ergò beneficium eſt Evangelii, juſtificatio & renovatio: gratia & donum per gratiam: imputatio juſtitiæ Chriſti, & donatio Spiritus ſancti.

53. Interim tamen ea non ſunt confundenda, nec in renovatione juſtificatio conſtituenda, quippe quæ juſtificationis conſequens eſt, non cauſa.

54. Non enim Deus propter renovationem & inchoatam obœdientiam in gratiam nos recipit & juſtificat, ſed juſtificatos & in gratiam receptos per S. S. renovat, ut obœdientiam erga

Legem

Legem inchoare possint.

55. Quam inchoatam obœdientiam, licet sit imperfecta, & multipliciter contaminata; tamen in illis, qui fide in Christum justi sunt, Deo placere, Evangelium ostendit.

56. Lex securis & hypocritis proponenda: Evangelium verò contritis & confractis.

57. Lex coërcet veterem hominem: Evangelium verò novum sub gratia retinet.

58. Et quia renati in hac vita non liberantur penitùs à vetustate carnis, sed manet in illis lucta carnis & Spiritus, Gal. 5. v. 17. ideò etiam Legis ministerio indigent.

59. Idq́; duplici fine, tùm ut caro seu vetus homo in illis coërceatur, tùm ut novus homo discat, in quibus operibus se exerceat.

60. Cæterùm apprimè notandum has Evangelii promissiones duplici

modo Universales esse, tum ratione temporis, tum etiam ratione objecti.

61. Per Universalitatem temporis intelligimus, quod unum & idem sit Evangelium, quo omnes sancti omnibus temporibus ab initio mundi sunt salvati.

62. Jesus Christus heri & hodiè, idem etiam in secula, Heb. 13. v. 8. profuit ergò passio Christi, antequam fuit.

63. Est enim agnus occisus ab origine mundi, Apoc. 13. v. 8. scilicet ratione æterni decreti, ratione promissionum, ratione typorum & ratione efficaciæ.

64. Credimus proinde cum Apostolis per gratiam Dei salvari, quemadmodum Patres nostri, Actor. 15. v. 8.

65. Nec solùm in N. T. sed etiam in Veteri, qui justitiam & salutem in operibus Legis quærunt, sub maledicto sunt, Gal. 3. v. 10.

66. Statim post lapsum edita est promissio de semine mulieris contrituro

caput

caput serpentis, Genes. 3. v. 15. quod fuit Protevangelium, quo sese primi parentes sustentârunt.

67. Quomodo hæc promissio subsequentibus temporibus clarius exposita & repetita per divinam revelationem Patriarchis & Prophetis factam, pulcerrimè exponit magn⁹ ille Chemnicius parte 2. locor. p. 579. & seq.

68 Utq; unum Evangelium, ita una fides, una justitiæ ac salutis consequendæ ratio.

69. Proinde commentum illud falsum est, quòd ante tempora Mosis Lege Naturæ, post Mosis seculum Lege Leviticâ, in N. T. Lege Evangelicâ homines salvati sint.

70. Falsum etiam illud, quòd Legis cum Veteri, Evangelii cum N. T. sit æqualis latitudo, hoc sensu, quòd ad Legem pertineat, quicquid in V. T. proponitur; ad Evangelium, quicquid in Novo.

71. Est enim Evangelium ante promissum per Prophetas in Scripturis sanctis, Rom. 1. v. 2. & omnes Prophetæ testimonium perhibent Christo, quod remissionem peccatorum accipiant, qui in nomen ejus credunt, Act. 10. v. 43.

72. Breviter, quod Prophetæ prædixerunt futurum, idem Apostoli annunciant completum.

73. Per Universalitatem Objecti intelligimus, quòd Evangelii promissiones ad omnes homines pertineant.

74. Ubi tamen distinguimus inter promissionem & promissionis applicationem. Promissio ad omnes omninò spectat, applicatio autem promissionis fit solis credentibus.

75. Non enim hîc quæritur, an actu omnes fiant participes beneficiorum, quæ per Evangelii vocem offerantur? id enim non fieri res ipsa proh dolor, testatur.

76. Sed

76. Sed hoc quæritur, an Evangelii promiſſiones ſint ex ſe & in ſe Univerſales, an v. ita reſtrictæ, ut ex conſilio & decreto DEI non pertineant niſi ad certos homines abſolutè ejus beneplacito præ reliquis electos?

77. Ubi dicimus, Deum ſeriò omnium ſalutem expetere, Chriſtum pro omnibus omninò hominibus ſatisfeciſſe, proinde etiam Deum ſeriò omnibus beneficia Chriſti per Evangelium offerre.

78. Chriſtus jubet Evangelium prædicare omni creaturæ, Marc. 16. v. 15. pręcipit ergò, ut Apoſtoli paſſim omnibus prædicent atq; offerant Evangelium, in Evangelio beneficia ſuæ paſſionis & mortis, in beneficiis paſſionis & mortis remiſſionem peccatorum, in remiſſione peccatorum gratiam Dei, in gratia Dei ſalutem & vitam æternam.

79. Quicunq; proinde crediderit, id

est, qui fide, quam per hanc ipsam Evangelii vocem, S. S. in omnibus audientibus & non contumaciter reluctantibus operari vult, oblata bona receperit, salvus erit, Marc. 16. v. 16

80. Omnibus ergò eo fine Deus Evangelium offert, ut per ejus auditum fidem concipiant, cujus anteambulo contritio, pedissequa verò bona opera, quæ sunt fructus renovationis & fidei per Spiritum sanctum accensæ.

81. Voluntate consequente & judiciariâ prędicatio Evangelii quibusdam fit odor mortis ad mortem, 2. Corinth. 2. v. 15.

82. Circa hanc objecti Universalitatem notandum, quod non excludat, sed potiùs includat fidem.

83. Fides enim & promissio habent se correlativè.

84. Unde Evangelii doctrina verbum fidei, Rom. 10. v. 8. 1. Tim. 4. v. 6. auditus & prædicatio fidei, Gal. 3. v. 2. appellatur.

85. Quæ

85. Quæ fidei conditio non est αἰτιολογικὴ, quo modo Legis promissiones sunt conditionales: sed συλλογιστικὴ, exprimitur enim modus & instrumentum, quo promissa bona amplectimur.

86. Vox Legis est, si perfectè obœdieris salvaberis; ubi conditio est αἰτιολογικὴ. Quia obœdientia perfecta est causa, propter quam servantibus Legem datur vita æterna.

87. Vox Evangelii est, si credideris, salvaberis: ubi conditio est συλλογιστικὴ. Quia non propter fidem sed per fidem, quæ Christum apprehendit, coram Deo nos justificari & salvari, Evangelium pronunciat.

88. Ex Evangelii definitione facilè potest intelligi, an propriè loquendo Evangelium sit prędicatio pœnitentię?

89. Quando Evangelium accipitur generaliter pro tota doctrina, quam Christus & Apostoli prædicârunt, verissimum est, Evangelium esse prædicationem pœnitentiæ.

90 Præ-

90. Præterea Evangelium annunciat gratiam Dei ſolis pœnitentibus, id eſt, agnitione peccatorum & ſenſu iræ divinæ humiliatis.

91. Ac dum in ſolo Chriſto ſalutem quærendam eſſe pronunciat, omnia extra Chriſtum ſub peccatum concluſa eſſe præſupponit.

92. Quin etiam Evangelium aliquas Legis explicationes monſtrat, quas ex ſola Lege non poſſet quis facilè & evidenter colligere.

93. Hoc ergò ſenſu & his reſpectibus Evangelium prædicatio pœnitentiæ dici & rectè intelligi poteſt, interim manet propria Evangelii doctrina de remiſſione peccatorum propter Chriſtum gratuita.

94. Dicis: Fides eſt ex Evangelio, ergò etiam incredulitas arguitur per Evangelium, Lex enim non novit Chriſtum Mediatorem.

95. Reſpondemus, Lex jubet credere

omni

omni Dei verbo, Evangelium proponit hoc Dei verbum, quòd Christus pro nobis in cruce mortuus, sit nostra coram Deo justitia: Concludat Lex, Ergò huic Dei verbo credas.

96. Lex arguit omnia peccata, & sic etiam incredulitatem: Evangelium in antithesi sua ostendit, hoc esse peccatum, & quidem caput peccatorum omnium, non credere in Christum Mediatorem, docente Chemn. p. 2. loc. pag. 570. Concludit Lex, Ergò propter illud peccatum argueris & damnaris.

97. Hoc sensu dicebat D. Lutherus, quòd Lex & Evangelium in praxi sint quovis Mathematico puncto conjunctiora, in cap. 2. Gal.

98. Et tamen manet proprium Legis officium peccatum arguere, operari iram, damnare: proprium Evangelii officium consolari, erigere, salvare.

99. Quando Lex proponit suam Majorem:

jorem: Quicunque furatus eſt, ſub maledicto eſt: Aſſumit conſcientia furis, Ego ſum furatus. Concludit Lex, Ergò es ſub maledicto.

100. Ibi totus Syllogiſmus accuſans & damnans tribuitur Legi, etiamſi aſſumptionem addat conſcientia furis.

101. Ita quoque Lex proponit ſuam Majorem. Quicunq; ſub peccato eſt, maledictus eſt. Evangelium proponit Minorem. Quicunq; non credit in Filium, adhuc eſt ſub peccato, & ira Dei manet ſuper illum, Ioh. 3. v. 36. Concludit Lex, Ergò maledictus eſt.

102. Ibi itidem totus Syllogiſmus accuſans & damnans tribuendus Legi, etiamſi aſſumtionem addat doctrina Evangelii.


103. Lex concludit omnes ſub peccatum, Gal. 3. verſ. 22. Quicunq; ergò non credit Evangelio Chriſtum monſtranti, manet ſub Legis maledicto, & in illum Lex ſuum accuſandi & damnandi

mnandi officium in ſummo vigore & rigore exercet.

104. Accuſatio ergò incredulitatis pertinet ad Legem, nimirum Evangelii luce colluſtratam.

105. Hinc D. Lutherus ſcribit, opus fidei in Chriſtum & peccatum oppoſitæ incredulitatis reduci ad primum præceptum, in Geneſ. c. 22. f. 303.

106. Dominus Jeſus voce Evangelii corda noſtra in omnibus tentationibus; præſertim verò in hora mortis efficaciter erigat & ſuſtentet.



XIII. APHO-

XIII. APHORISMI THEOLOGICI DE POENITENTIA.

1. PRaxis Legis & Evangelii consistit in Pœnitentiā.

2. Neq; enim sufficit scire, quod sit Legis, quod Evangelii officium: sed requiritur utriusq; praxis: Theologia est doctrina Practicā.

3. Pœnitentia tribuitur vel Deo vel hominibus.

4 Deo quidem ἀνθρωποπαθῶς, non θεοπαθῶς: ἐνεργητικῶς, non παθητικῶς.

5. Ut enim ira Dei non est animi ejus perturbatio, sed judicium, quo irrogatur pœna peccato: ita pœnitentia ejus est mutandarum rerum immutabilis dispositio. August. 15. de Civitat. Dei cap. 25.

6. Non cogitat Deus sicut homines, ut aliqua ei nova accedat sentētia, nec irascitur quasi mutabilis, sed ideò hæc leguntur, ut peccatorum nostrorum acer-

acerbitas exprimatur. Ambroſ. lib. de arca & Noah cap. 4.

7. Hominibus longè alio ſenſu tribuitur pœnitentia, quàm Deo. Non enim eſt Deus quaſi homo, quem pœniteat quippiam, 1. Sam. 15. v. 29.

8. Reſpectu eo, quo homini pœnitentia tribuitur, dupliciter in Scripturis ſumitur, vel ὁλικως [totaliter] vel μερικῶς [partialiter].

9. ὁλικῶς pro toto converſionis actu; μερικῶς pro ſola contritione.

10. Vis vocabuli magis declinat ad ſignificationem poſteriorem. Eſt enim pœnitere idem quod rei commiſſæ aliquem pudere ac pigere. Gell. 17. c. 1.

11. Uſus verò Scripturæ & Eccleſiarum noſtrarum magis declinat ad ſignificationem priorem.

12. Unde quibuſdam Veteribus commodior viſa vox Reſipiſcentiæ. Tert. 2. contra Marc. Lactant. 6. Inſt. c. 24.

13. Hebræi commodiſſimè vocant Theſchuβah, quod Græci vertunt

ἐπιστροφὴν, nos conversionem.

14. Pulcrè hoc explicat Phavorinus, quòd sit ἀπὸ τῶν πταισμάτων ἐπὶ τὸ ἐναντίον ἀγαθὸν ἐπιστροφή.

15. Intellige autem αὐταγαθὸν & verè summum bonum.

16. Unde Damascenus pulcerrimè vertit, quod sit ἐκ τοῦ παρὰ φύσιν εἰς τὸ κατὰ φύσιν, καὶ ἀπὸ τοῦ διαβόλου πρὸς τὸν θεὸν ἐπάνοδος. 2. de Orth. fide. 30.

17. Quod nostris pœnitentia, id Græcis μεταμέλεια καὶ μετάνοια.

18. Ita tamen, ut pœnitentiæ pro sola contritione acceptæ respondeat μεταμέλεια, quæ est animi dolor μὴ συγκεκραμένος τῇ πίστει: Hebr. 4. vers. 2. sed pœnitentiæ generaliter acceptæ respondeat μετάνοια, quæ est λύπη εἰς σωτηρίαν ἀμεταμέλητος, 2. Corinth. 7. vers. 10.

19. Quod discrimen non esse perpetuum, apparet ex Matth. 21. vers. 29. & Hebr. 12. v. 17.

20. Ple-

20. Plerunq; tamen μετάνοια veram & ſalutarem pœnitentiam; μεταμέλεια falſam & exitialem denotat.

21. Falſa illa duplex eſt: alia hypocritica in ſola externa ſpecie & ſimulatione conſiſtens, quam Propheta nominat θεατρικὴν, quod Chriſtus exprimere voluit, quando dicit, quoſdam jejunare (& lugere) πρὸς τὸ θεαθῆναι, ὅπως φανῶσι τοῖς ἀνθρώποις, Matth. 6. verſ. 16.

22. Alia dimidiata & mutila, peccatum deplorans abſq; gratia & fide.

23. Vera autem & ſalutaris pœnitentia in ſeria contritione & fide conſiſtit.

24. Quidam eam vocant Evangelicam, ubi addenda eſt explicatio, quòd ratione partis potioris, videlicet fidei, quæ eſt ex Evangelio, ita denominetur.

25. Vera illa pœnitentia eſt motus cordis à Spiritu S. accenſus, quo, pec-

catis & ira Dei adversus illa agnitis, homo seriò dolet, & fide in Christum, qui pro peccatis satisfecit, vicissim sese erigit, certò propter illum peccata sibi remitti statuens.

26. Est enim pœnitentia conversio quædam à tenebris ad lucem, à potestate Satanæ ad Deum, Act. 26. v. 18.

27. Ergò terminus à quo sunt peccata, ex quorum consideratione oritur contritio, terminus ad quem; est Deus, ad cujus misericordiam per Christi meritum patet aditus.

28. Quot sunt doctrinæ cœlestis genera, quorum ministerio pœnitentiam & remissionē peccatorum Deus hominibus prædicat, eandemq; in hominibus operatur, tot sunt partes ejus essentiales. At duo sunt genera doctrinæ cœlestis; videlicet Lex & Evangelium. Ergò etiam duæ sunt pœnitentiæ partes.

29. Quælibet istarum doctrinarum suum

ſuum proprium & peculiarem, in homine convertendo, effectum obtinet: Lex incutit dolorem, dum manifeſtat peccata, & Dei iram adverſus illa: Evangelium ſolatur, dum proponit homini contrito Chriſtum Mediatorem, agnum illum Dei, tollentem peccata mundi.

30. Hi effectus Legis & Evangelii etſi diſtincti ſunt, tamen ad unum pœnitentiæ ἀποτέλεσμα absolvendum concurrunt.

31. Bona opera ſeu novam obœdientiam non partem, ſed fructus pœnitentiâ dignos, Scripturâ duce, vocamus, Luc. 3. v. 8. Act. 26. v. 20.

32. Quidam diſputant, Pœnitentiæ partes eſſe Mortificationem carnis & Vivificationem Spiritus.

33. Non repugnamus, ſi per mortificationem intelligatur contritio ſeu dolor ex peccatorum agnitione & ſenſu iræ divinæ conceptus: per vivifica-

tionem consolatio, quæ est ex fide.

34. Si verò intelligatur studium illud conversorum ac renatorum perpetuum, in mortificando veteri homine, & fructibus Spiritus sectandis, tùm dicimus illud ad novam obœdientiam pertinere.

35. Quæ cùm in hac vita non sit perfecta, ideò tota Christiani hominis vita est perpetua pœnitentia. D. Lutherus in primis suis propos. de Indulgent. th. 1.

36. Tres illæ pœnitentiæ partes, quâ dividitur in contritionem cordis, confessionem oris, & satisfactionem operis, locum habent non in conversione illa ad Deum salutari & interna, quâ cum Deo nobis res est: sed in publica illa Ecclesiastica pœnitentia veteribus usitata.

37. Qui enim publicis suis delictis scandalo olim fuerat reliquis, & propterea ex cœtu Ecclesiastico exclusus,

ab

ab eo publica pœnitentiæ indicia, præter internam cordis contritionem, requirebantur, videlicet luctus, ἐξομολόγησις, deprecatio &c. quibus Ecclesiæ satisfaceret; B. Rhenanus in scholiis ad Tertull. de pœnit.

38. Abutuntur ergò divisione istâ, qui pœnitentiæ illius salutaris, quâ cum Deo nobis res est, illas partes esse volunt.

39. Ab ea enim fides nullo modo excludi potest; quippe absq; fide pœnitentia non potest esse pœnitentia εἰς ζωὴν, Act. 11. v. 18.

40. Bonæ sunt lacrymæ, si Christum agnoscas, Ambros. in cap. 24. Luc. 17.

41. Longè verò pejus additur assumentum, si actiones illę pœnitentis rationem elementi seu materialis, non significantis modò, sed causantis quoq; & efficientis remissionẽ peccatorum; in Sacramento pœnitentiæ obtinere

statuuntur, quib⁹ vox absolventis Confessionarii tanquam formale accedat, de quo ipso mira est inter Scriptores discrepantia. Vide commentat. super 4. sent. dist. 14.

42. Siquidem quam Christo, ejusq; merito, per fidem apprehenso, Scriptura tribuit remissionē peccatorum, ea nostro studio ac merito hac ratione accepta fertur.

43. Contritio in conversione requiritur, non ut causa & meritum reconciliationis cum Deo, sed ratione ordinis.

44. Evangelizat quidem Christus, sed pauperibus: sanat, sed contritos corde; prædicat remissionem, sed captivis, prædicat visum, sed cœcis; prędicat dimissionem, sed confractis, id est, spiritualem suam pauperiem, captivitatem ac cœcitatem agnoscentib. & ob id corde contritis ac confractis, Esa. 61. v. 1. Luc. 4. v. 18.

45. Ad

45. Ad contritionem illam pertinent agnitio peccati, ſenſus iræ divinæ, dolor & angor trepidantis conſcientiæ, deteſtatio & fuga, quin & ſigna contriti cordis exteriora, lacrymæ, jejunium, pectoris tunſio, ſaccus &c.

46. Cæterùm differentia eſt inter contritionem piorum & impiorum atque hypocritarum.

47. Contritio piorum oritur ex ſpeciali operatione Spiritus ſancti, ſed impiorum & hypocritarum contritio plerumq; ex veteri homine & naturalibus liberi arbitrii viribus ortum habet.

48. Pii in pavoribus conſcientiæ principale peccati objectum Deum ipſum intuentur, & propter ejus offenſam unicè dolent; hypocritæ contra mentis ſuæ vel aliorum judicia potiùs extimeſcunt, & pœnæ magis, quàm culpę conſideratione anguntur.

49. Pii non ſolùm actualia peccata: ſed & fontem omnium actualium, vi-

delicet originalem labem; non solùm exteriora delicta, sed etiam interiorem corruptionem; non solùm præsentis, sed etiam futuræ vitæ pœnas intuentur: sed hypocritæ saltem externa delicta utcunq; agnoscunt, & ut plurimùm saltem hujus vitę pœnas extimescunt, si assurgant ad cōsiderationem æternarum pœnarum, in barathrum desperationis abripiuntur.

50. Pii agnoscunt & confitentur Deum, & judicia ejus esse justa: Hypocritis proprium est delicta extenuare, & Dei justiciam vellicare.

51. Interim religio nobis est, aliam legalem: aliam Evangelicam contritionem statuere.

52. Ipsa enim illa piorum contritio (quam vocant Evangelicam) est ex Lege, non autem ex Evangelio.

53. Legis concioni addit DEUS quandoq; reales & oculares conciones

nes de peccatorum & iræ ſuæ magnitudine, videlicet calamitates publicas & privatas, tum in nobis tum in aliis.

54. Eo enim fine immittit Deus hujus vitæ pœnas, ut ad peccati agnitionem & deteſtationem nos deducat, 1. Cor. 10. v. 22.

55. Doctrina de Contritione pervertitur, ſi pars pœnitentiæ & terror ex minis Legis conceptus eſſe negatur, contrà verò aſſeritur eſſe dolor voluntariè pro peccatis aſſumtus.

56. Item ſi docetur hominem (in vetuſtate adhuc conſtitutum) verè cooperari ad converſionem: ad Evangelium contritionē maximè pertinere, eſſe cauſam remiſſionis peccatorum, incluſum illi etiam benè vivendi propoſitum &c.

57. Hæc n. omnia contra Scripturam & veritatē aſſeruntur & defenduntur.

58. Quæ ex ſcholaſticis diſputantur

de

de dolore summo appreciativè & intensivè: item quod dolor de peccato debeat excedere vel æquare voluptatem de peccato conceptam &c. Ea ad carnificinam animarum comparata esse dicimus.

59. Requiritur omninò non hypocritica, non superficiaria, sed ex toto corde seria contritio;

60. Absit verò, ut eam vel peccati, vel iræ Dei, vel pœnarum magnitudini respondere posse dicamus.

61. Deus infinitum bonum, quod offensum: peccatum infinitum malum, quod commissum: pœna infinitum malum, quod paratum.

62. Quomodo ergò infinitus Deus, infinita ejus justitia, infinita ejus ira adversus peccata, finitâ contritione possent expiari?

63. Doctrina de Fide non minùs pervertitur, quando negatur esse Pœnitentiæ pars, negatur esse fiducia, negatur

tur esse de remissione peccatorum certa; quando negatur principale fidei objectum esse promissiones Evangelii de Christo Mediatore, quando negatur, fides sola justificare, negatur à caritate esse individua &c.

64. De Confessione hæc sunt erronea, quòd omnium peccatorum, quorum quis, post diligentem præmeditationem, & districtum examen, memoriam habere poterit, per suas circumstantias in aures Sacerdotis, denunciatio, sit jure divino necessaria: quòd confessione illâ deleatur peccatum, & perexiguâ confusione, quam confitentes coram Sacerdote patiuntur, redimatur ingens confusio, quam alioqui passuri sunt in die judicii &c.

65. Variis tamen dissensionibus se invicem hîc oppugnant. Alii extendunt hoc præceptum ad Venialia, quidam ad sola mortalia. Alii ejus originem quærunt in jure divino: quidam

in

in Ecclesiæ constitutione. Alii vim contritionis extendunt ad remissionem culpæ; quidam ad remissionem pœnæ vel ex toto vel ex parte. Vide de tota hac re omninò Bielem 4. sent. dist. 17. q. 1.

66. Nos privatam confessionem apprimè utilem esse dicimus, tùm propter ministrum Ecclesiæ, tùm etiam propter confitentes.

67. Hac enim ratione præcaveri potest, ne indigni ad usum sacræ Cœnæ admittantur, possunt delinquētes corrigi, torpentes excitari, territis in specie remissio peccatorum potest denunciari, dubiis consilium dari, & rudiores informari.

68. Rectè ergò Dn. Philipp. in explic. Evang. miser. Dom. 1. post Pascha, quam ultimo vitæ suæ anno Auditoribus dictavit. Amate illum morem privatę absolutionis: nam si ille mos aboleretur, qualis esset Ecclesia? etiam ille mos

mos est testimonium, quod in Ecclesia est remissio peccatorum.

69. Nec improbamus certorum peccatorum enumerationem, quibus conscientia potissimùm angitur.

70. Interim omnium peccatorum enumerationem jure divino necessariam esse pernegamus.

71. Nec agnoscimus ullum confessionis meritum, in peccatorum remissione impetranda.

72. Satisfactionem talem quidam docent, per quam vel pro culpa vel certè pro pœna peccatorum temporali satisfiat, indulgentiis verò pœnas illas relaxari & redimi posse: ac si non plenè satisfiat, in purgatorio sudandum esse.

73. Nos nullam aliam, quàm Christi satisfactionem agnoscimus, & verè pœnitentibus peccata gratis, propter illam Christi satisfactionem, remitti dicimus.

74. Ca-

74. Calamitates piis post suam cum Deo reconciliationem impositæ, non sunt propriè pœnæ irati Dei tanquam severi judicis; sed castigationes paternæ.

75. Quæ non eo imponuntur fine, quasi per eas pro peccatis compensatio aut satisfactio fieri possit: sed ut pii peccatum magis detestentur, ut crescat in illis Dei timor, ut excutiatur securitas, ne novis peccatis Deum offendant, ut carnem cum suis concupiscentiis mortificent, ut sint testimonium, in æternum fuisse illis pereundum nisi per Filium Mediatorem in gratiam reciperentur, ut humilientur sub potenti manu Dei, ut reliqui admoneantur de judicio Dei adversus peccata.

76. Breviter, ut crescat in eis patientia, spes, desiderium vitæ æternæ, preces, mortificatio veteris Adami &c.

77. Pul-

77. Pulcerrimè de his calamitatibus piorum dicit Nanzianz. quod ſint πικροὶ ὀϊστοὶ ἐκ γλυκερῆς παλάμης θεοῦ, amarę ſagittæ ex dulci manu Dei. in στιχ. λ.

78. Hæc de pœnitentia dicta ſint, quam meritò portum ſalutis cum Lactantio appellamus, 6. div. Inſtit. c. 24. Deus (inquit) imbecillitatem noſtram ſciens, pro ſua pietate aperuit homini portum ſalutis, ut huic neceſſitati, cui fragilitas noſtra ſubjecta eſt, medicina pœnitentiæ ſubveniret.

79. Quam ne differamus, invitare nos debent ſatis multa. Ad Dei gratiam non patet acceſſus, niſi per pœnitentiam.

80. Cor impœnitens theſaurizat ſibi divinam iram, & impœnitens vita eſt ſervitus Diabolica.

81. De craſtino vitæ die non ſumus certi, cur ergò pœnitentia in craſtinum debeat differri?

82. Gaudent Angeli de pœnitenti-

bus, ergò dubio procul dolent de pœnitentiæ procrastinatoribus.

83. Sera pœnitentia rarò vera, & qui ad finem usq; vitæ in peccatis perseverant, non illi peccata, sed peccata relinquunt ipsos.

84. Convertat nos Dominus, ut convertamur, & quod ex nobis non possumus, id ipse in nobis per Spiritum suum operetur.



XIV. APHO-

XIV. APHORISMI THEOLOGICI DE FIDE, QVA CORAM Deo juſtificamur.

1. FIdes pœnitentiæ pars altera, non ſolùm eſt notitia & aſſenſus, ſed etiam fiducia.

2. Notitiam eſſe oſtendunt appellationes ſcientiæ, ſapientiæ, intelligentiæ, lucis, cognitionis &c. quibus fidem Scriptura denotat.

3. Nec fiducia cordis ferri poteſt in objectum menti incognitum.

4. Valeat ergò fides illa implicita, per quam Chriſtiani labore illo probandi Spiritus, 1. Joh. 4. v. 1. & cavendi Pſeudoprophetas, Matt. 7. v. 15. ſublevantur.

5. Valeat commentum, quod fides rectiùs per ignorantiam, quàm notitiam definiatur.

6. Etſi enim fides non eſt notitia ex

rationis principiis deducta, iisq́; ſuperſtructa, tamē eſt lux notitiæ ex revelatione Dei per Evangelium orta, in hoc lumine videmus lumen, Pſal. 36. v. 11.

7. Fidem eſſe aſſenſum & συγκατάθεσιν, in conſpicuo eſt, neq; enim ſufficit ſcire, quæ Deus revelârit, ſed etiam illis, ut divinitùs revelatis aſſenſus prębendus.

8. Fidem eſſe fiduciam oſtendunt appellationes ὑποστάσεως, πληροφορίας, πεποιθήσεως, & παρρησίας, quibus Scriptura fidem denotat.

9. Idem oſtendunt fidei deſcriptiones practicæ. Abrahæ fides ita deſcribitur, quòd crediderit contra ſpem in ſpem, Rom. 4. v. 18. quòd non fuerit infirmatus in fide, v. 19 quòd adverſus promiſſionem Dei non hæſitârit diffidentiâ, ſed robuſtus factus fide dederit gloriam Deo, v. 20. quòd firmiſſimè ſtatuerit, Deum poſſe facere quæcunq; promiſit, v. 21.

10. Fi-

10. Fides hæmorrhousæ, quam Christus celebrat, ita describitur, quòd dixerit in corde suo, si tetigero vestimentum ejus, sanabor, Matth. 9. v. 22.

11. Fides Cananeæ, cujus magnitudinem Christus prædicat, ita describitur, quòd pugnaverit cum quadam lucta contra tentationem de dilatione auxilii, de particularitate promissionum & propria indignitate, Matth. 15. v. 28.

12. Sic fides Christum λαμβάνει, Joh. 1. v. 12. est spiritualis pastus animæ, Johan. 4. v. 14. Joh. 6. v. 35. Apoc. 21. v. 6. est obsignatio divinorum promissorum, Joh. 3. v. 33. est intuitus Christi in cruce pendentis, Joh. 3. v. 15. hæc certè nudæ notitiæ tribui nequeunt.

13. Adde, quod opposita sint sub eodem genere proximo. Jam verò fidei non solùm opponitur ἀγνοία & tenebræ intellectus, sed etiam ὀλιγοπιστία, δειλία, Matth. 8. v. 26. διστασία, Matth. 14.

v. 31. φόβος, Luc. 8. v. 25. διάκρισις ἀπιστίας, Rom. 4. v. 20.

14. Fidei ratione notitiæ & assensus, objectum adæquatum est Dei verbum in Scriptis Propheticis & Apostolicis comprehensum.

15. Extra Sphæram hujus objecti, quicquid est, illud fidei fundamentum esse nequit.

16. Proinde absit, ut traditiones pari pietatis affectu, quo scriptum Dei verbum, suscipiendas esse nobis patiamur persuaderi.

17. Nec ratio humana fidei mensura esse poterit, sed ad præscriptum verbi ea conformanda est. Omnis enim intellectus sub obsequium Christi captivandus est, 2. Cor. 10. v. 5.

18. Ratione fiduciæ objectum fidei adæquatum est Christus Mediator & Redemtor, seu, quod idem est, promissio Evangelii de Christi satisfactione & merito.

19. In-

19. Interim non negamus, fidem etiam apprehendere promiſſiones de aliis bonis ſpiritualibus & corporalibus, ſed eatenus non juſtificat.

20. Prius namq; in Christo recumbat neceſſe eſt, in illo & per illum quærat reconciliationem cum Deo, antequam alia Dei promiſſa ſibi applicare poſſit.

21. In ſolo enim Chriſto omnes Dei promiſſiones ſunt ratæ & Amen, 2. Cor. 1. v. 20.

22. Juſtificat autem fides, quatenus Chriſti meritum in verbo Evangelii ſibi oblatum apprehendit.

23. Diverſi quidem generis ſunt ea, quæ in Scriptura nobis credenda proponuntur: interim totius Scripturæ ſcopus eſt Chriſtus in officio redemtionis, de quo ſcriptum in capite libri Pſal. 40. v. 8.

24. Ita quoq; fides ſic aſſentitur univerſo Dei verbo, ut cumprimis reſpi-

ciat promiſſionem gratiæ propoſitam in Evangelio.

25. Quòd ſi fides eſt fiducia in Chriſti meritum recumbens, conſequitur hominem in Chriſtum verè credentem certò ſtatuere poſſe & debere, ſibi etiam propter Chriſtum peccata remitti, Deum ſe habere propitium, & vitæ ſe hæredem fore.

26. Id quod divinarum promiſſionum firmitas, juramenti divini ſtabilitas, Spiritus ſancti teſtantis & obſignantis veritas, Sacramentorum utilitas, exauditionis promiſſæ infallibilitas, & veræ fidei proprietas evidenter arguunt.

27. Quò pertinet egregius ille locus Bernhard. ſerm. 3. de fragm. ſept. miſer. Tria conſidero, in quib⁹ tota mea ſpes conſiſtit, caritatem adoptionis, veritatem promiſſionis, poteſtatem redditionis. Murmuret jam, quantum voluerit inſipiens cogitatio mea dicens:

Quis

Quis tu es? & quanta eſt illa gloria, quibusvè meritis hanc obtinere ſperas? & ego fiducialiter reſpondebo: Scio cui credidi, & certus ſum, quia in caritate nimia adoptavit me, quia verax eſt in promiſſione, quia potens in exhibitione. Hic eſt funiculus triplex, qui difficulter rumpitur, quem nobis è patria noſtra in hunc carcerẽ uſq; demiſſum firmiter quæſo teneamus, ut ipſe nos ſublevet, ipſe nos trahat uſq; ad conſpectum gloriæ magni Dei.

28. Vera illa & ſalvifica fides eſt gratuitum Dei donum, Eph. 2 v. 8. Phil. 1. v. 29. ἐνέργεια τοῦ Θεοῦ, Col. 2. v. 12. cujus ἀρχηγὸς καὶ τελειωτὴς eſt Chriſtus, Heb. 12. v. 2.

29. Proinde fides non eſt operum præcedentium meritum, ſed operum futurorum fundamentum.

30. Nec verò immediatè Deus eam in cordibus operatur, ſed Spiritus ſanctus per verbum Evangelii, tanquam

 coele-

cœleſte lumen, fidei lucem in cordibus noſtris Naturâ tenebroſis accendit, Rom. 10. v. 17. Fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei.

31. Verbo etiam addita ſunt Sacramenta, quæ itidem gignendæ & alendæ fidei ſunt media.

32. Proinde cœleſtes expectare raptus, extra & præter verbum, eſt eorum qui mediis à Deo inſtitutis contenti eſſe nolunt.

33. Vera fides non eſt νεκρὰ, Jac. 2. verſ. 17. quippe quam Spiritus ſanctus per vivum Dei verbum in cordibus operatus eſt, Hebr. 4. v. 12.

34. Quin potiùs eſt ἐνεργουμένη atque efficax, Gal. 5. v. 6.

35. Illa fidei ἐνέργεια duplex eſt: una, quâ in Chriſtum Mediatorem verbo Evangelii monſtratum recumbit, ejusque beneficia apprehendit: altera, quâ per caritatem efficax eſt.

36. Quan-

36. Quando ergò dicimus quòd fides justificet, & quidem sola, ibi utraq; propositio explicanda est.

37. Fides justificat, non ratione dignitatis & præstantiæ suæ, nec ratione posterioris ἐνεργείας, sed quia Christum Mediatorem apprehendit.

38. Nulla ergò discrepantia realis est inter hæc, si dicatur ab aliis fidem justificare instrumentaliter, ab aliis verò, quòd formaliter justificet.

39. Priori modo fides accipitur, ut donum Dei in corde per Evangelium accensum, sive ut cor fidele, & sic est instrumentum, quo Christus apprehenditur.

40. Posteriori modo fides accipitur pro ipsa Christi apprehensione per fidem, & sic est causa formalis, hoc est ratio & modus nostræ justificationis.

41. Sed nec ulla realis discrepantia est,

est, si dicant alii fidem justificare formaliter, alii verò Christum, alii etiam Christi meritum.

42. Perinde enim est sive dicas fidem, quæ Christum apprehendit, justificare, sive Christum verâ fide apprehensam esse nostram coram Deo justitiam, sive meritum Christi per fidem nobis imputari ad justitiam.

43. Fidei enim salvificæ objectum proprium est Christus cum suo merito, & vicissim Christus nobis nihil prodest, nisi per fidem justitia ejus nobis imputetur.

44. Propriè ergò loquendo, causa formalis nostrę justificationis est Christi justitia; hoc est activa & passiva ejus obœdientia fide apprehensa, & divinitùs nobis imputata, Quâ de re sic habendum.

45. Deus in judicio suo rationes exigit donorum nobis concessorum, hoc est, ejus perfectionis & integritatis, cum

cum qua nos creaverat, ad imaginem nimirum ſuam.

46. Atqui illam concreatam integritatem, ſapientiam ac juſtitiam in nobis non invenit, ſed peccatum & iniquitatem, ob quam à Lege, quę norma eſt juſtitiæ, accuſamur & damnamur.

47. Hîc ergò gratuita Dei miſericordia venit in judicium, quæ nobis Chriſtum Mediatorem ac Redemtorem exhibet, is tollit à nobis quod noſtrum eſt, peccatum ſcilicet & iniquitatem; ac donat nobis quod ſuum eſt, videlicet obœdientiam ſuam Legi pręſtitam.

48. Ex hoc fundamento Deus miſericors ſimul ac juſtus, optimo temperamento nobis non imputat peccatum, ſed contrà imputat nobis Chriſti juſtitiam ſcilicet per fidem, quæ in Chriſto, tanquam propitiatorio, recumbit atq; nititur.

49. Hæc

49. Hæc juſtitiæ Chriſti per fidem imputatio tàm vera ac realis eſt, quàm verè Chriſtus in ſe recepit iniquitates noſtras; Eſai. 53. v. 4.

50. Remiſſio peccatorum fundatur in Chriſti juſtitia, non enim Deus peccata remittit per errorem, vel per ignorantiam, vel per levitatem, vel per incuriam; ſed propter Chriſtum, quem fides apprehendit.

51. Et ſic in juſtificatione exerit ſe Juſtitia & Miſericordia Dei. Juſtitia fulget in perfectiſſima Chriſti ſatisfactione pro peccatis noſtris. Miſericordia elucet in acceptatione ſatisfactionis Chriſti, ejusq; per fidem applicatione.

52. Viciſſim imputatio juſtitiæ Chriſti fit peccatis remiſſis, quia reatus perſonæ cum imputatione juſtitiæ Chriſti nequit conſiſtere.

53. Proinde ut peccatum originale non eſt ſolùm carentia juſtitiæ originalis, ſed etiam prava concupiſcentia: ita

ita quoque noſtra coram DEO juſtificatio conſiſtit in remiſſione peccatorum, & imputatione juſtitiæ Chriſti.

54. Cum illa peccatorum remiſſione, juſtitiæ Chriſti imputatione, regeneratione & υἱοθεσίᾳ perpetuo nexu conjuncta eſt renovatio, ſiquidem Chriſtus non ſolùm juſtitiam ſuam nobis donat, ſed & Spiritum ſanctum, qui naturam noſtram renovat.

55. Interim tamen non conſiſtit in utroque ſimul noſtra coram Deo juſtificatio.

56. Sed renovatio illa eſt juſtificationis conſequens, & quia in hac naturæ imbecillitate nunquam eſt plena & perfecta, ideò gloriam juſtitiæ coram Dei judicio ſubſiſtentis, ei tribuere non poſſumus.

57. Atq; hoc ipſum denotare volumus, quando dicimus ſolâ fide nos juſtificari.

58. Ubi particula Sola non determinat subjectum, quasi fides justificans sit sola, & à caritate ac reliquis virtutibus separata.

59. Siquidem vera fides est viva, non autem mortua; est efficax per caritatem; non autem absq; operibus.

60. Sed μόριον illud ἀποκλειστικὸν determinat prædicatum, hoc sensu, quòd sola Christi justitia, cujus apprehendendæ vis soli fidei, non operibus convenit, imputetur nobis ad justitiam.

61. Non ergò negamus Spiritum sanctum in renatis accendere novos motus, & justificatos in bonis operibus ambulare.

62. Quin potiùs disertè dicimus, ubi nondum sunt novi isti motus à Spiritu sancto excitati, ibi etiam veram fidem nondum esse accensam: disertè dicimus, bona opera debere sequi in justificatis.

63. Hoc verò est, quod modis omnibus

bus negamus, vel novos illos motus esse habitualem coram Deo valentem justiciam: vel bona illa opera esse actualem justiciam, quâ coram Dei judicio niti possimus.

64. Sed totius fiduciæ nostræ certitudo est in precioso Christi sanguine. August. in Meditat.

65. Væ enim hominum vitæ, quantumvis laudabili, si, remotâ Dei misericordiâ discutiatur. Idem lib. 9. Confess. cap. 13.

66. Urgemus ergò particulas exclusivas in merito, in applicatione & in forma justificationis.

67. Ne scilicet opera statuantur vel meritum, vel medium, vel forma nostræ coram Deo justificationis.

68. Sed sola Dei gratia, propter solum Christum, quem sola fides apprehendit, nos justificat.

69. Finis illius salvificæ fidei est salus animarum nostrarum & vita æterna, 1. Pet. 1. v. 8.

70. Neq; enim per fidem solùm habemus accessum ad gratiam, verùm etiam fide stamus in gratia, Rom. 5. v. 1. & virtute Dei custodimur ad salutem per fidem, 1. Petr. 1. v. 5.

71. Etsi verò tàm non possit fides à caritate separari, quàm à Sole radii, ab igne calor: tamen absit, ut fidem per caritatem formari dicamus.

72. Dicitur enim fides absq; operibus mortua, non quasi opera ejus sint anima, sed quia illa fidei professio & jactantia, quæ non habet bonorum operum testimonium, est simulacrum seu cadaver quoddam sine omni vitâ.

73. Opera ergò testantur de vera fide, sicut respiratio de vita hominis, non autem sunt fidei vitâ.

74. Perinde ut fructus boni de arboris bonitate testantur, non autem arborem bonam constituunt.

75. Meritò proinde inter causas, propter quas facienda sint bona opera, nume-

numeratur etiam illa, ne excutiatur fides & Spiritus ſanctus.

76. Teſtatur enim Scriptura dictis & exemplis, eos, qui verè coram Deo per fidem in Chriſtum juſtificati, ſi poſtmodum peccatis contra conſcientiam indulgeant, amittere fidem, & per conſequens etiam gratiam Dei, juſtitiam, Spiritum S. & ſalutem æternam, atque incidere in æternam damnationem, niſi per veram pœnitentiam rurſus ad Deum convertantur.

77. Semper ergò inſonent auribus & cordib. noſtris admonitiones Apoſtolicæ: Cum timore ac tremore operamini ſalutem veſtram, Phil. 2. v. 12. Qui ſtare ſe exiſtimat, videat ne cadat, 1. Corinth. 10. v. 12. Satagite, ut certam veſtram vocationem & electionem faciatis, 2. Petr. 1. verſ. 10. Voſmetipſos probate, an ſitis in fide, ipſi vos probate. An non cognoſcitis voſmetipſos, quia Chriſtus Jeſus in vobis

eſt? niſi fortè reprobi eſtis, 2. Cor. 13. verſ. 5.

78. Dominus Jeſus fidei noſtræ autor ſit ejuſdem conſummator, Hebr. 12. v. 2. ipſi ſit gloria in ſeculum.

XV. APHORISMI THEOLOGICI DE BONIS OPERIBUS, hoc eſt, de renovatione hominis per fidem in Chriſtum renati.

1. Cum regeneratione & υἱοθεσίᾳ per fidem in Chriſtum, perpetuo & individuo nexu conjuncta eſt renovatio.

2. Quemadmodum enim homo per carnalem γένεσιν, vitæ naturalis redditur particeps, quam motus naturales conſequuntur.

3. Ita renatus per ſuam ex Spiritu ſancto παλιγγενεσίαν vitæ ſpiritualis particeps redditur, quam itidem motus ſpirituales conſequuntur.

4. Neutra generatio abſq; vita; neutra

tra vita abſque motu.

5. Denotatur ſæpiſſimè interna iſta renovatio bonorum operum appellatione; idque συνεκδοχικῶς.

6. Non enim in externis tantùm operibus bonis, vel actionibus tranſeuntibus renovatio conſiſtit, ſed etiam (& quidem πρώτως in interiori mentis, voluntatis atq; omnium animæ virium ἀνακαινώσει.

7. Ex interiori iſta καινότητι promanant actiones bonæ, & de ea bona opera exteriora teſtantur.

8. Placuit autem Spiritui ſancto bonorum operum appellatione renovationem deſcribere propter nos, quia opera externa notiora ſunt internis animi qualitatibus & cordis affectibus.

9. Præterea omnis laus virtutis in praxi conſiſtit, ideò renovamur per Spiritum ſanctum interiùs, ut appareant fructus Spiritus exteriùs.

10. Denique hac ratione excluditur

fallax hypocrisis, quæ est simulata species internæ pietatis, quæ nulla est, nisi in operibus etiam externis demonstretur.

11. Reginæ ergò fidei ut anteambulo est contritio, ita pedissequæ bona opera.

12. Non enim opera bona præcedunt justificandum, sed sequuntur justificatum, quod est August. de fide & operibus cap. 14.

13. Interim tamen ubi opera non apparent extra, fidem non credam esse intra, quod est Johannis Hussi.

14. Neq; difficile est causam assignare, nexus istius inter fidem veram & bona opera perpetui.

15. Cùm hæc sit natura veræ fidei, quòd sese exerit per caritatem, Gal. 5. vers. 6.

16. Qui credit, ex Deo natus est, Johan. 1. v. 13. utiq; ergò referet Naturam sui spiritualis Patris, jam verò Deus est cari-

caritas, 1. Joh. 4. v. 8. Qui non diligit, Deum non novit.

17. Fides eſt interior, ſalutaris & efficax Dei cognitio; quomodo verò ſummum illud bonum verè cognitum non diligeretur? ſi quis verò diligit Deum, ſermonē ejus ſervabit, Joh. 14. v. 23. qui habet mandata mea & ſervat ea, dicit Salvator, ille eſt qui diligit me, v. 21.

18. Ex eo concludit Apoſtolus, in hoc ſcimus, quòd cognovim⁹ eum, ſi mandata ejus obſervamus: Qui dicit, novi eum, & pręcepta ej⁹ nō ſervat, mendax eſt, & veritas in eo nō eſt, 1. Joh. 2. v. 3. 4.

19. Fides ſpiritualis lux eſt animæ, ubi verò lux eſt interiùs, ibi radios ſuos profert exteriùs, Matth. 5. v. 16. Luceat lux veſtra.

20. Per fidem Chriſtus habitat in cordibus, Eph. 3. v. 17. ubi Chriſtus, ibi Spiritus ſanctus: ubi Spiritus ſanctus, ibi etiam apparent fructus Spiritus.

21. Fides nostra est victoria, quæ vincit mundum, 1. Johan. 5 v. 4. quid verò est mundus? Concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum & superbia vitæ, 1. Joh. 2. v. 16. ubi illis securè indulgetur, ibi mundus nondum victus, ibi ergò non est vera fides.

22. Viva est & victrix, si modò vera, fides.

23. Fide purificantur corda, Act. 15. v. 9. ubi ergò securè indulgetur impuris peccatorum sordibus, an ibi erit interior cordis puritas? Ex abundantia cordis os loquitur, Matth. 12. v. 33.

24. Hæc ita disertè explicanda fuerunt, non solùm ut à Tridentina accusatione liberaremur, ac si magna contentione prædicemus unam illam ab omni pietate remotam fiduciam: sed etiam ut vana fidei persuasio securis peccatoribus adimeretur.

25. Quibus respondendum est ex Jacob. 2. v. 26. sicut corpus absq; spiritu

sive

ſive reſpiratione mortuum eſt, ita & fides ſine operibus mortua eſt.

26. Nec ſolùm ex fide bona opera proficiſcuntur, ſed etiam nulla ſunt verè bona opera, niſi ex fide proficiſcantur.

27. Cùm ergò fides reſpiciat verbum tanquam ſuum correlatum, ideò norma bonorum operum eſt Lex divina, ſive Decalogus.

28. Proinde ἐθελοθρησκείαι & cultus electitii Deo non placent, ſed ea ſolùm opera, quæ fiunt juxta Canonem Legis moralis in Decalogo comprehenſæ.

29. Intelligendus autem Decalogus, juxta explicationem Prophetarum, Chriſti & Apoſtolorum.

30. Præterea cùm fides non oriatur ex naturalibus liberi arbitrii viribus, ſed ſit donum Spiritus ſancti, ideò ex eo, quod diximus, opera ex fide proficiſci oportere, ulteriùs colligimus, nulla eſſe verè bona opera, niſi homi-

num per Spiritum S. renatorum.

31. Per naturam n. homines ſunt mortui in delictis, Eph. 2. v. 5. Col. 2. v. 13.

32. Ergò nondum renatorum, ut ſpiritualis vita nulla eſt, ita etiam nulla ſpiritualis, Deo placens, operatio.

33. Rectè igitur magno conatu diſputat Auguſtinus, ſine fide, quæ videntur bona opera, eſſe peccata lib. 3. ad Bonifac. cap. 5. & alibi paſſim.

34. Omnem vitam infidelium eſſe peccatum, cùm ſine ſummo bono nihil bonum, diſputat Anshelm. in 14. cap. Rom.

35. Quam ſententiam qui crudelem eſſe dicunt, in veritatem crudeles ſunt Cenſ. Colon. pag. 29.

36. Mala arbor bonos fructus ferre nequit, & perſonâ nondum Deo reconciliatâ, nec opera perſonæ Deo placent.

37. Plura adhuc ex propoſito theoremate, quòd ex fide verè bona opera

pro-

proficiſci neceſſe ſit, colligere poſſumus, ex eo enim ſequitur, quòd bona opera etiamſi non aſſequantur præſcriptam in lege perfectionem, tamen Deo placeant.

38. Chriſtus verâ fide apprehenſus, & hominem & opera ejus ex fide facta Deo accepta reddit.

39. Atque hoc ſenſu intelligendum eſt, quòd in noſtris Eccleſiis dici ſolet, fidem eſſe formam bonorum operum.

40. Non enim hoc volumus, quòd Chriſti ſatisfactio ita operibus imputetur, ut per noſtra illa opera in Dei judicio juſtificemur.

41. Cùm enim Juſtificari (ut ita loquar) ipſamet indigeant, utiq; nos juſtificare non poterunt.

42. Sed bona illa opera ideò & inde Deo grata eſſe dicimus, quia perſona per Chriſtum reconciliata ex fide benè operatur.

43. Bo-

43. Bona opera renatorum placent Deo, ſed non placant Deum.

44. Deniq; quia ex fide bona opera proficiſcuntur, ideò per ea & propter ea coram Deo non juſtificamur.

45. Quod enim jam dum per fidem in Chriſtum obtinemus, illud ut operibus demùm acquiramus, neceſſarium non erit.

46. Quando ergò quæritur, an per bona opera juſtificemur, & ſalutem mereamur, excutiantur accuratè quæſtionis termini.

47. Bona opera ſunt juſtificatorum opera, ergò non ſunt opera (ut ita loquar) juſtificantia: ſicut fructus boni, quia ſunt bonæ arboris fructus, ideò arborem bonam non faciunt.

48. Novimus reſponderi diſtinctione inter Juſtificationem primam & ſecundam.

49. Sed præter alia vel hoc unicum evertit iſtam diſtinctionem, quod Apoſtolus

ſtolus negat Abrahamum, in medio curſu bonorum operum, ſuis operibus eſſe coram Deo juſtificatum, Rom. 4.v.1, 2, 3. ſi ullibi, certè in Abrahamo locum habuiſſet ſecunda iſta (ſi quæ eſſet) per opera juſtificatio.

50. Quinimò loca Scripturę omnia, quæ negant, operibus nos juſtificari, diſcrimen illud evertunt.

51. Bona opera ſunt jam antè Deo debita, nihil ergò illis meremur, Luc. 17.verſ.7.

52. Bona opera ſunt imperfecta & immunda, cùm ipſa renovatio in hac vita non ſit numeris omnib⁹ abſoluta, quomodo ergò per ea poterimus mereri vitam æternam? quid ſunt merita omnia ad tantam gloriam, ait Bernh. ſerm.1.in annunc. col.106.

53. Bona opera ſunt fructus Spiritus renatos agentis & impellentis, ac in iis efficaciter operantis. Ergò propter illa homo magis Deo redditur debitor,

quàm

quàm ut per illa quicquam apud Deum mereatur. Bernh. ibid.

54. Bona opera si vitam æternam promereri possent, utique etiam eo fine & eâ intentione fieri deberent & possent, ut per ea mercedem vitæ æternæ adipiscamur: atqui opera hac intentione facta non sunt verè bona opera. Vera enim caritas mercenaria non est, quamvis non sit sine mercede.

55. Hactenus de subjecto quæstionis: prædicatum est, justificare & mereri vitam æternam.

56. At si per Christum justitia, utiq; etiam salus. Qui enim habet filium, habet vitam æternam, Joh. 3. v. 39.

57. Meriti natura postulat, ut opus illud, quo meremur, sit gratuitum, non debitum à nobis illi cui id præstamus, at quicquid boni agim⁹, est nostri Deo debiti officii pars duntaxat quædam.

58. Deinde ut opus illud sit utile & commodum ei, de quo meremur, at

Deus

Deus bonorum noſtrorum non eget, Pſal.16. v. 2.

59. Deniq; ut res à nobis oblata ſit par precio & dignitate æqualis illi rei, quam viciſſim retributionis ἀντιδόσεως loco accipimus, at quæ inter opera noſtra & vitam æternam proportio.

60. Vita æterna eſt donum Dei gratuitum, non ergò operum noſtrorum meritum, Rom 11.v.4.

61. Deeſt gratiæ quicquid meritis deputas, nolo meritum quod gratiam excludat, Bernhard. ſermon. 67. in Cant.

62. Ne quidem fruſtulum illud panis quo veſcimur, mereri poſſumus, ſed quotidianis precibus illud à Deo emendicare cogimur, quomodo ergò vitam æternam mereri poterimus.

63. Quærat proinde alius meritum, nos invenire gratiam ſtudeam⁹, Bernhard. ſerm. in nativ. Mat. col. 213.

64. Si propriè appellentur ea, quæ

ab

ab aliquibus dicuntur merita, ſpei quędam ſunt ſeminaria, caritatis incentiva, occultæ prædeſtinationis indicia, futuræ felicitatis præſagia, via regni non cauſa regnandi, Bernh. tract. de grat. & lib. arbitr. ſub finem.

65. Quamvis verò ad juſticiam & ſalutem promerendam neceſſaria non ſint bona opera: Tamen renatis neceſſaria ſunt, primùm Dei, deinde proximi, deniq; ipſorum renatorum reſpectu.

66 Reſpectu Dei multis modis. 1. hæc enim ipſius voluntas & mandatum, ut renati benè operentur. 2. ipſe Pater eſt, nos filii, patriſſemus igitur. 3. hoc fine ſumus creati. 4. per Chriſtum redemti. 5. per Spiritum ſanctum regeniti & ſanctificati, ut benè operemur. 6. & noſtris operib⁹ bonis Deum glorificemus. 7. ne ſanctiſſimum Dei nomen & verbum propter nos malè audiat.

67. Re-

67. Reſpectu proximi incumbit benè operandi neceſſitas. 1. ut noſtris officiis eum pro virili juvemus. 2. ut bono exemplo alios ædificemus. 3. ſcandala vitemus. 4. & benefaciendo improbis calumniatoribꝰ os obturemus.

68. Reſpectu ipſorum renatorum incumbit eis bonorum operum ſtudium. 1. ut novitate vitę ſe eſſe in Chriſto novam creaturam teſtentur. 2. ut ambulando tanquam filii lucis ereptos ſe è tenebris eſſe comprobent. 3. ut veros exerant fructus fidei, ſuamq́; vocationem hoc modo firmam faciant. 4. ut ſuſpicionem hypocriſeos amoliantur. 5. ut vitent pœnas temporales & æternas malis operibus conſtitutas. 6. ne per peccata excutiant fidem, contriſtent Spiritum ſanctum & amittant Dei gratiam. 7. ut corporalia & ſpiritualia præmia à Deo conſequantur.

69. Fides in bonis operibꝰ exexcetur, & per ea quaſi pinguefcit & augeſcit.

D. Luth. in cap. 17. Geneſ.

70. Urgenda hæc ſunt & ſedulò inculcanda, ne peccatorum remiſſionem & gratuitam juſtificationem privilegium eſſe turpitudinis arbitremur.

71. Cùm tamen Deus eo fine ex gratuita bonitate propter Chriſtum in gratiam nos recipiat, ut habeat populum (aemulum bonorum operum) ζηλωτην καλων εργων, Tit. 2. verſ. 14.

72. Ubi verſu proximè præcedente 12. Apoſtolus tres quaſi claſſes bonorum operum conſtituit. Requirit enim ut (sobrie juste et pie) σωφρονως δικαιως και ευσεβως vivamus.

73. (pietas) ευσεβεια reſpicit cultus primæ tabulæ Deo debitos, & complectitur dilectionem & timorem Dei, fiduciam erga Deum, verã invocationem, confeſſionem, gratiarum actionem.

74. (justitia) δικαιοπραγια proximum reſpicit, & complectitur omnia humanitatis

tis officia, juxta normam ſecundæ tabulæ, proximo debita; ut exhibeatur ſuperioribus obœdientia & reverentia, æquali conſilium & auxilium, inferiori cuſtodia & diſciplina, Bernh. ſerm. 3. de adv. Domini.

75. Σωφροσύνη (sobrietas) reſpicit nos ipſos, & requirit corporis diſciplinam, atque affectuum moderationem. Nulla victoria glorioſior, quàm ſeipſum vincere.

76. Eodem modo Salvator contra hypocritas Phariſæos modum verè bona opera faciendi oſtenſur, tria quaſi genera bonorum operum conſtituit; videlicet eleemoſynam, orationem & jejunium.

77. Eleemoſynæ nomine συνεκδοχικῶς intelliguntur officia caritatis proximo debita, unde prodiit diſcrimen inter opera corporalis & ſpiritualis eleemoſynæ his verſiculis expoſitum:

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.
Consule, castiga, solare, remitte, fer, ora.

78. Orationis nomine itidem συνεκδοχικῶς intelligitur omnis Deo debita devotio, si enim Deo grata esse debet oratio, oportet ut ex vera fide, timore, & dilectione Dei proficiscatur.

79. Jejunii nomine intelligitur disciplina corporis, ita enim nutrienda caro ut serviat, ita domanda est, ut non superbiat, juxta Hugonis dictum.

80. Ex illis omnibus, quæ hactenus dicta sunt, talem colligimus definitionem. Bona opera sunt hominum renatorum à Deo mandatæ actiones, ex fide in Christum juxta normam divinę legis ad gloriam Dei factæ.

81. In illis ut divites simus, faxit Deus per Christum fidei & operum bonorum ἀρχηγὸν καὶ τελειωτὴν celebrandum in secula.

XVI. APHORISMI THEOLOGICI DE SACRAMENTIS.

I. VErbo Evangelii Deus addidit Sacramenta, quæ ſunt verbum viſibile;

2. Et inviſibilis gratiæ viſibilia ſigna. Auguſt. lib. 19. cont. Fauſt. c. 16.

3. Per Sacramenta enim oculis quodammodo ſubjicitur, quod auribus per verbum annunciatur.

4. Sacramenti vox in Scripturis quidem extat.

5. Sed non eo ſenſu, quo hoc loco uſurpatur.

6. Nec tamen propterea cum Carolſtadio uſu hujus vocis Eccleſiæ interdicendum.

7. Miſera namq; ſervitus foret uſu vocabulorum ἀγράφων penitus abſtinere.

8. Apud Scriptores profanos uſurpatur vox Sacramenti primò pro pecu-

nia apud Pontificem à litigantibus deposita, eo fine, ut qui sponsione seu judicio vicisset, suum depositum reciperet integrum, alterius verò fisco cederet.

9. Deinde pro solenni isto juramento, quo milites certo ritu & præscriptis verbis Reipub. & Magistratui ad fidelitatem obstringebantur.

10. Unde postea in genere ad quodvis juramentum transferri cœpit.

11. In Scripturis Interpreti latino id Sacramentum est, quod Græcis μυστήριον, Chaldæis Rasa, Hebræis Sod.

12. Ecclesiastici Scriptores nomine Sacramenti intelligunt ceremoniam divinitùs institutam, per quam bona in Evangelio promissa offeruntur & credentibus applicantur.

13. Sacramenta hæc nostra sunt sancta & incontaminata mysteria ἅγια καὶ ἄχραντα μυστήρια, ut loquitur Damasc. 4. orth.

4. orth. fid. cap. 14. ſive ut (ex veteribus) loquitur Jeremias Patriarch. Conſtant. reſp. 1. ad Theol. Wirteb. φρικώδα τὰ μυςήρια. Utiq; ergò nomen Sacramenti illis meritò tributum fuit.

14. Per Sacramenta obligamur DEO ad fidem & obœdientiam; ſicut milites Imperatori ſuo, juramento: per Sacramenta etiam obligamur invicem ad dilectionem, ſicut illi, qui contendebant in judicio, ſuâ apud Pontificem depoſitâ pecuniâ.

15. Porrò Sacramenti vox propriè & frequentiſſimè accipitur de tota actione Sacramentali, quandoque impropriè & ſynecdochicè notat Sacramenti partem eſſentialem alteram, videlicet ſymbolum externum, ſive ut loquitur Irenæus lib. 4. cap. 34. rem terrenam.

16. Ita quoq; res Sacramenti quandoq; notat ſalutarem Sacramenti fructum,

quandoque partem Sacramenti eſſentialem alteram videlicet rem cœleſtem.

17. Ceterùm Sacramenta definienda ſunt per actiones. Ubicunq; enim Sacramenta inſtituuntur, ibi requiruntur & præſcribuntur certæ actiones: nec conſtat Sacramentis eſſentialis ſua integritas, niſi accedant illæ divinitùs præſcriptæ actiones.

18. Sunt autem actiones ſacræ & ſolennes, quia divinitùs inſtitutæ, quia Deus nobiſcum in illis agit, & nobiscum Deo in illis res eſt.

19. Deus eſt, qui non ſolùm Sacramenta primitùs inſtituit, eaq́; Eccleſiæ commendavit; ſed etiam adhuc hodiæ cœleſtia bona per ea mediante hominis miniſterio diſpenſat.

20. Diſpenſatio illa Sacramentalis conſiſtit in δόσει καὶ λήψει.

21. Δόσις notat actionem adminiſtrantis divinitùs præſcriptam: λῆψις notat

notat Sacramenti receptionem.

22. Utrobiq; distinguendum est inter rem & rei modum. Δόσις καὶ λῆψις simpliciter necessariæ sunt: sed δόσεως καὶ λήψεως τρόπος libertatem aliquam admittunt.

23. Soli Deo potestatem Sacramenta instituendi vendicamus.

24. Ejus enim est media gratiæ instituere, cujus est gratiam conferre.

25. Rectè ergò Thomas scribit p.3. q. 64. art. 2. Virtus Sacramenti est à solo Deo. Ergò solus Deus est Sacramentorum institutor.

26. Ubi addit hæc ἀξιομνημόνευτα, Apostoli & eorum successores sunt vicarii Dei, quantum ad regimen Ecclesiæ à Deo institutæ per fidem & fidei Sacramenta: unde sicut non licet eis constituere aliam Ecclesiam: ita etiam non licet eis tradere aliam fidem, neq; instituere alia Sacramenta, sed per Sacramenta, quæ de latere Christi pen-

dentis, in cruce fluxerunt, dicitur eſſe fabricata Chriſti Eccleſia.

27. Deus etiam diſpenſat Sacramenta, ſed non immediatè, verùm ordinariè per miniſtros Eccleſiæ.

28. Illi enim ſunt diſpenſatores myſteriorum Dei, 1. Cor. 4. v. 1 & Θεȣ̃ συνεργοὶ, 1. Cor. 3. v. 9.

29. Extraordinariè autem in Sacramento initiationis urgente extremâ neceſſitate etiam aliis Eccleſiæ membris adminiſtratio ejus convenit.

30. Proinde quia miniſter non ſuo, ſed Dei nomine hîc agit, ejus vel dignitas vel indignitas efficaciæ Sacramentorum nihil addere vel trahere poteſt.

31. Vim Sacramenti non mutat vita miniſtri.

32. Inſtrumentaliter hîc agunt Miniſtri: inſtrumentum autem agit non ſecundum propriam formam, ſed ſecundum-

cundum virtutem ejus, à quo movetur, Thom. p.3. q.64. art.5.

33. Hinc veterum illæ ſimilitudines, quòd tàm non tollat beneficium Sacramenti vita miniſtri, quàm non inquinatur lumen Solis à luto & cœnoſis, per quæ tranſit, locis: quàm parum refert, utrum aqua ad irrigandas areolas per canalem lapideum, an verò per argenteum tranſeat: quam non mutat figuram ſigilli aureus vel ferreus annulus &c. Aug. tract. 5. in Joh. lib. 3. de Bapt. c. 10. & Nazianz. orat. de Bapt.

34. Id verò etiam de intentione miniſtri dicimus, eam videlicet ad integritatem & fructum Sacramenti non requiri abſolutâ neceſſitate.

35. Illa enim (ut ita loquar) non-intentio ſpecies eſt vel nævi vel malitiæ in miniſtro: quod ergò de genere verum eſt, idem etiam de ſpecie.

36. Porrò Sacramenta ſolis hominib. & quidem viventibus inſtituta ſunt: illis

illis ergò ſolis adminiſtrari debent.

37. Requiruntur autem ad Sacramentum duo: Verbum & Elementum.

38. Accedat verbum ad Elementum & fit Sacramentum. Auguſt. de catacl. cap. 3. tract. 80. in Joh.

39. Per Verbum intelligitur primò inſtitutio divina, per quam Elementum, quia percepit vocationem Dei (ut loquitur Iren. lib. 4. cap. 34.) ſeparatur à communi uſu & deſtinatur uſui Sacramentali: deinde promiſſio Evangelii propria, per Sacramentum applicanda & obſignanda.

40. Ac proinde de quolibet Sacramento judicare debemus ex divina inſtitutione, ſive quod idem eſt, ex propria ſede, in qua divina inſtitutio deſcribitur.

41. Et quia quodlibet Sacramentum habet peculiarem ſuam inſtitutionem, ideò etiam peculiarem adminiſtrationem,

nem, tanquam formam propriam obtinet.

42. Ac proinde verba ſubſtantialia inſtitutionis Sacramenti neutiquam ſunt mutanda.

43. Sunt autem duo V.T. Sacramenta, duo etiam Novi: Circumciſio in Veteri, cui in Novo reſpondet Baptiſmus; & Agnus Paſchalis in Veteri, cui in Novo Teſtamento reſpondet Cœna Domini.

44. Si quæ his adduntur alia, in illis deſideratur vel inſtitutio divina, vel Elementum externum, vel promiſſio Evangelii propria.

45. Fines Sacramentorum ſunt complures, ſed duo tantùm principales, reliqui ſunt ſubordinati & minus principales.

46. Finis principalis prior eſt, quòd Sacramenta ſunt organa, media & ὀχήματα, per quæ Deus offert, exhibet, & credentibus applicat promiſſionem Evan-

Evangelii propriam de remiſſione peccatorum, juſticia & vita æterna.

47. Quicquid enim convenit verbo, id Sacramentis non eſt denegandum, quæ ſunt verbum viſibile; jam verò verbum Evangelii eſt tale organum.

48. Per Sacramenta in fœdus Dei recipimur, in eoq́; conſervamur: jam verò illud eſt fœdus gratiæ, utiq; ergò Sacramenta ſunt gratiæ & ſalutis organa.

49. Diſcedimus proinde ab illis, qui ἐν ἐλλείψει detrahunt Sacramentis, eaq́; conſtituunt nuda ſigna gratiam tantùm ſignificantia.

50. Veteres quidem interdum Sacramenta vocant ſigna, ſed intelligunt ſigna obſignantia, vel ut explicat Auguſtana Confeſſio art. 13. ſigna teſtificantia de Dei erga nos gratia.

51. Quo ſenſu vocabulum σημείου, Gen. 17. v. 11. uſurpatum per σφραγῖδα explicat

cat Apoſtolus Rom. 4. v. 11.

52. Ita etiam externum Sacramenti elementum quandoque vocant ſignum, non nudè σημαντικὸν rei cœleſtis abſentis (hoc enim ſenſu figuræ & ſigni vocem diſertè rejiciunt) ſed παραδοτικὸν ac προσφερόμενον, rei cœleſtis præſentis & ſacramentaliter Elemento unitæ.

53. Signum enim eſt quod ſignat, & rei ſignatæ inviſibilitatem, non autem abſentiam præſupponit.

54. Signum eſt res præter ſpeciem, quam ingerit ſenſibus, aliquid aliud in cogitationem venire ex ſe faciens, Auguſt. 2. de doct. Chriſt. c. 1.

55. Inſcitè ergò καὶ ἀπαιδεύτως ex voce ſigni abſentia partis eſſentialis alterius colligitur.

56. Diſcedimus etiam ab illis, qui in exceſſu Sacramentis detrahunt, eaq; ex opere operato gratiam conferre aſſerunt.

57. Id

57. Id quod, ita explicant, non requiri bonum motum in ſuſcipiente, in Sacramentis eſſe virtutem quandam ſupernaturalem, per quam ita ſint cauſa gratiæ, ut eſt ignis cauſa caloris.

58. Atqui, ut verbum non prodeſt abſq; fide, Hebr. 4. v. 2: ita nec Sacramenta, quæ ſunt verbum viſibile.

59. Neq; prodeſt offerri beneficium, niſi ſit qui recipiat. Dei offerentis manus ſunt Verbum & Sacramenta: manus hominis accipientis eſt fides.

60. Pulcrè Hugo 5. de Sacram. p. 9. cap. 2. Dono gratiæ ſpiritualia, quaſi quædam antidota ſunt inviſibilia: In Sacramentis viſibilibus quaſi quibuſdam vaſculis homini porriguntur: jam ſicut quod eſt in vaſe non eſt de ipſo, ſed cum ipſo hauritur, ſic gratia non eſt à Sacramentis neq; de Sacramentis, ſed oritur à fonte æterno & ab illo hauritur ab anima in ipſis Sacramentis.

61. Cumq; Sacramentis in genere

hunc

hunc finem assignemus, ex eo colligi potest, quòd Veteris Testamenti Sacramentis etiam eum tribuamus.

62. Circumcisioni enim addita erat illa promissio de receptione in fœdus gratiæ, quod verbis hisce emphaticis describitur: Ero Deus tuus & seminis tui, Gen. 17. v. 7. quæ explicanda sunt ex Levit. 26. v. 12. Jerem. 31. v. 2. Matth. 22. v. 32. & apparebit in eis promissionem de Dei gratia, speciali inhabitatione & vita æterna contineri.

63. Discedimus proinde ab illis, qui disputant, quòd Sacramenta Veteris Testamenti non fuerint causæ instrumentales gratiæ: quòd non habuerint virtutem quandam ex passione Christi &c.

64. Posterior principalis Sacramentorum finis est, esse signacula & sigilla divinæ erga nos benevolentiæ, confirmandæ in nobis fidei ergò instituta.

65. Circumcisionem enim Aposto

lus vocat σφραγῖδα justiciæ fidei, Rom. 4. v. 11. at sigilli proprium est testificari, confirmare & obsignare id cui annectitur.

66. Inde ex circumcisione efficaces consolationes in periculis depromebant pii veteres, 1. Sam. 14. v. 6. & cap. 17. v. 26. 36.

67. Porrò quod de circumcisionis fine dicitur, id etiam ad reliqua Sacramenta rectè refertur: siquidem conveniunt omnia Sacramenta in causa efficiente & in causa finali generica.

68. Hinc Baptismus dicitur συνειδήσεως ἀγαθῆς εἰς Θεὸν ἐπερώτημα, quâ voce utuntur LXX. quando os Domini interrogatum esse dicunt in V. T. Oecumenius per ἐπερώτημα intelligit pignus & arrhabonem.

69. Sensus ergò est, quod Baptismus testificetur nostræ conscientiæ, eamq; confirmet de Dei gratia: & observa, hujus obsignationis fundamentum

con-

constitui in resurrectione Christi, is enim propter justiciam nostram (cujus consequens est pax conscientiæ) resurrexit, Rom. 4. v. ult. cap. 5. v. 1.

70. Quò referimus etiam locum 1. Joh. 5. v. 8. Tres sunt qui testificantur in terra, Spiritus, aqua & sanguis; cujus loci ex scopo textus, & fidei analogia hæc emergit paraphrasis, quòd Spiritus S. in ministerio Evangelii, (quod est ministerium Spiritus, 2. Cor. 3. v. 8.) & aqua in Baptismo, (qui est lavacrum aquæ in verbo, Eph. 5. v. 26.) & sanguis (qui in Cœna Domini bibendus nobis porrigitur, 1. Cor. 11. v. 25.) testificentur de paterna Dei erga nos benevolentia.

71. Hinc Tertull. lib. de pœnit. Baptismum vocat fidei obsignationem: & August. de catech. rud. cap. 26. Sacramenta vocat signacula.

72. Discedimus ergò ab illis, qui negant, Sacramenta esse sigilla pro-

missionem gratiæ obsignantiam.

73. Secundarii & minùs principales Sacramentorum fines enumerari possunt complures, utpote quòd sint nervi publicorum congressuum; quòd sint tessare, quibus Ecclesia ab aliis cœtibus distinguitur; quòd in illis Deo ad finem & obœdientiam astringamur; quòd sint typi & simulachra virtutum, præcipuè dilectionis &c.

74. Disputant Scholastici in quibusdam Sacramentis imprimi characterem.

75. Quem sic describunt, quòd sit signum spirituale à Deo solo animæ impressum in susceptione initerabilis Sacramenti, manens indelebiliter de Lege communi.

76. De characteris hujus quidditate, subjecto & fine miras & miseras ipsorum pugnas enumerare possemus.

77. Sed concludimus cum Biele 4. sent. dist. q. 2. Characterem esse po-

nendum

nendum, nec ratio necessaria demonstrat, nec evidens autoritas probat.

78. Omnes namque autoritates ex Dionysio, Augustino, Damasceno & Magistro (Lombardo) adductæ verè & magis pertinenter ad mentem ponentium exponuntur de Baptismatis Sacramento aut forma Sacramentali, quàm de aliquo realiter animæ impresso. Hæc Biel.

79. Indelebilis ergò est ipsorum character, quia nunquam scribitur.

80. Atque hæc dicta sint de Sacramentis in genere, quorum ex superioribus talis colligitur definitio. Sacramenta sunt actiones sacræ & solennes, divinitùs institutæ, in quibus DEUS, mediante hominis ministerio, dispensat rem certam, peculiari verbo institutam, ad offerendam & credentibus applicandam atque obsignandam promissionem Evangelii propriam.

81. Quibus ut dignè & salutariter

participipemus, faxit Deus Sacramentorum autor unicus in secula benedictus.

XVII. APHORISMI THEOLOGICI DE S. BAPTISMO.

1. BAptismus est πρόθυρον seu prima porta gratiæ, primus ad Ecclesiam introitus, clavis regni cœlorum & Christianismi investitura.

2. Ideoq; prius N. T. Sacramentum, initiationis ob id dictum.

3. Βαπτισμὸς generatim quodvis lavacrum, seu quamvis tincturam notat, sive immersione, sive affusione, sive aspersione eadem fiat.

4. Metaphoricè in Scripturis usurpatur pro cruce & calamitatibus, Matt. 20. v. 23. pro visibili & larga donorum Spiritus sancti effusione, Act. 1. v. 5. pro miraculoso Israëlitarum per mare rubrum transitu, 1. Cor. 10. v. 2.

5. Synecdochicè pro doctrina, adeoque pro toto ministerio Johannis Proto-

tobaptistæ usurpatur, Matth. 21. v. 25. &c.

6. ἰδίως ἢ ἐξοχικῶς (specialiter et eminenter), quin & usu Ecclesiæ communi accipitur pro solenni illo initiationis mysterio, priore scilicet N. T. Sacramento.

7. Quod ratione partis essentialis alterius, dicitur aqua Joh. 3. v. 5. ratione essentiæ, lavacrum aquæ in verbo Eph. 5. v 26. ratione effecti, lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus sancti; Tit. 3. v. 5. ratione typi qui præcessit, circumcisio ἀχειροποίητος (non manu facta), Coloss. 2. v. 11.

8. Primus Baptismi autor, ideoque κύριον αἴτιον (principalis causa) est Deus.

9. Is namq; per Prophetas de salutari hoc lavacro typis & vaticiniis in V. etiam Testamento concionatus est.

10. Typi sunt, arca Noæ in diluvio, 1. Petri 3. vers. 20. Circumcisio, Col. 2. vers. 11. transitus Israëlitarum per mare rubrum, 1. Corinth. 10. vers. 2. aquæ sanguine passeris immolati

mixtæ leprosum mundantes, Levit. 14. v. 6. aqua expiationis, in quam vaccæ ruffæ cineres spargebantur, Num. 19. v. 20. variæ ablutiones & aspersiones Judæis usitatæ, Hebr. 9. v. 10. aqua Jordanis, quâ Naaman à lepra sanatus, 2. Reg. 5. v. 14.

11. Vaticinia constant partim propriis, partim allegoricis verbis, Psal. 29. v. 10. Dominus sedet ad diluvium. ψ. 46. v. 5. rivuli fluminis lætificant civitatem, Esa. 49. v. 22. Gentes in ulnis suis afferent filios, Ezech. 36. vers. 25. aspergam vos aquâ mundâ & mundabimini ab impuritatibus, cap. 47. v. 9. aquæ ex templo profluentes omnia vivificant, Zach. 13. vers. 1. In die illa erit fons apertus domui David & habitantibus in Jerusalem in ablutionem peccati & immundiciei, Joël. 3. v. 18. fons limpidissimus & saluberrimus à domo Domini egredietur & irrigabit torrentem Sittim.

12. Idem

12. Idem eſt, qui in N. T. Johannem miſit baptizare, ſeu ad baptizandum aquâ, Luc. 3. v. 2. Joh. 1. v. 33. unde Baptiſmus Johannis dicitur eſſe è cœlo, Matth. 21. v. 25. & Phariſæi renuentes ab ipſo baptizari, dicuntur ſpreviſſe conſilium Dei, Luc. 7. v. 30.

13. Hanc divinam Baptiſmi inſtitutionem Chriſtus poſt mortem & reſurrectionem ſuam ſolenni promulgatione, & mandato per totum terrarum orbem eundem continuandi, quaſi renovavit.

14. Proinde Baptiſmus Johannis idem fuit Sacramentum cum Baptiſmo Chriſti, hoc eſt, cum eo, quem Chriſtus per Apoſtolos adminiſtravit, hodieq́; per miniſtros Eccleſiæ adminiſtrat, eandem etiam habuit efficaciam, nec poſt Baptiſmum Johannis neceſſariò fuit Chriſto Baptiſmus percipiendus. cf. act. 19. 6

15. Eædem cauſæ, iidemq́; effectus

 ar-

arguunt utriuſque Baptiſmi identitatem Sacramentalem.

16. Interim non negamus Baptiſmo Apoſtolorum viſibilem mirandorum Spiritus ſancti donorum effuſionem fuiſſe conjunctam, quæ defuit Johannis Baptiſmo.

17. Adminiſtrat autem Deus hoc Sacramentum non immediatè, ſed per Eccleſiæ miniſtros, ad quos ordinariè hoc pertinet, tanquam οἰκονόμους τῶν τοῦ θεοῦ μυστηρίων, 1. Cor. 4. v. 1.

18. Viciſſim cum illi ſint alieni boni adminiſtri, ideò ipſorum vitium non tollit Baptiſmi eſſentiam vel beneficium.

19. Unde etiam hæretici, modò ſubſtantialia Baptiſmi ſervent, verum Baptiſmum adminiſtrant.

20. Quod in eo etiam caſu ſtatuimus, quando miniſter Eccleſiæ privatim & occultè hæreſin veritati Baptiſmi contrariam fovet, Ecclæſiâ ipsâ diverſum ſentiente.

21. Qui

21. Qui verò non in ſanctæ Trinitatis invocatione apud hæreticos baptizati ſunt, & veniunt ad nos, eos baptizari pronunciamus non rebaptizari: neq; enim credendum eſt, eos fuiſſe baptizatos, qui in nomine Patris, Filii & Spiritus S. tincti non ſunt.

22. Extraordinariè in caſu ſummæ neceſſitatis etiam privato baptizare licitum eſſe dicimus.

23. Sacramentis enim deſervit ordo, non autem imperat. Ac proinde in caſu neceſſitatis licet extraordinariè agere, dum non committatur aliquid contra expreſſum Dei verbum.

24. Neq; hîc diſcrimen facimus inter viros & fœminas, cùm in Chriſto nec mas ſit nec fœmina, Gal. 3. v. 28.

25. Elementum externum Baptiſmi eſt aqua, naturalis ſcilicet & elementaris.

26. Quotquot igitur aliũ quemvis liquorem,

quorem, vel aliud externum Elementum ſubſtituunt, vel ſubſtitui poſſe cenſent, à divina inſtitutione recedunt.

27. Nec verò Baptiſmus eſt ſimpliciter aqua, ſed eſt lavacrum aquæ in verbo, Eph. 5. v. 26..

28. Ergò nec aqua ſine verbo, nec verbum ſine aqua Baptiſmi rationem habet.

29. Verbum illud eſt tùm mandati, tùm promiſſionis.

30. Jubentur enim Apoſtoli baptizare in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti, Matth. 28. v. 19. & additur promiſſio, quòd per Baptiſmum Deus velit eſſe efficax in hominibus ad ſalutem, Marc. 16. v. 16.

31. Ergò juxta hoc verbum adeſt in Baptiſmo tota ſancta Trinitas, Pater, Filius & Spiritus ſanctus, perinde ut in Baptiſmo Chriſti, qui eſt caput Eccleſiæ, Eph. 1. v. 22.

32. Pa-

32. Pater propter filium Mediatorem, baptizatum hominem in gratiam recipit: Filius suo sanguine ab omnibus peccatis eundem emundat: Spiritus sanctus eundem regenerat & renovat ad vitam æternam.

33. Quòd si tota sacrosancta Trinitas, utiq; etiam Christus θεάνθρωπος adest, & suo sanguine baptizatum à sordibus peccatorum abluit.

34. Unde Veteres dicunt, & D. Lutherus repetit, Baptismum rubere Christi sanguine. August. tract. 11. in Johan. Beda in Ps. 80

35. Aqua igitur Baptismi non est attendenda juxta naturales suas proprietates & usus in communi vita: sed intuenda est ut symbolum & medium verbo Dei sanctificatum, cum quo & per quod tota sacrosancta Trinitas in baptizatis ad salutem eorum operatur.

36. Forma Baptismi est, hominem aquâ baptizare, id est, aspergere vel im-

immergere in nomine Patris, Filii & Spiritus ſancti.

37. Cumq; forma det eſſe rei, ideò mutatâ hac Baptiſmi formâ non amplius erit Sacramentum.

38. Trina an una fiat immerſio vel aſperſio, ad Baptiſmi integritatem nihil intereſt; ritus Eccleſiæ uſitatus in hiſce adiaphoris reverenter obſervandus.

39. In tribus merſionibus perſonarum Trinitas, in una deſignari poteſt Divinitatis Unitas.

40. Verba illa in nomine vel in nomen Patris, Filii & Spiritus ſancti magnam habent emphaſin, piis auditoribus accuratè & ſæpiùs explicandam.

41. Profitetur enim Miniſter, ſe non ſuo, ſed Dei nomine & mandato agere, quicquid hac in parte agit.

42. Oſtendit etiam verum Deum, qui eſt unus in eſſentia & trinus in perſo-

perſonis, ſuper hunc qui baptizatur invocari.

43. Quin etiam verba iſta diſertè teſtantur, ſingulas ſacroſanctæ Trinitatis perſonas in Baptiſmo adeſſe, præſentiâ & efficatiâ gratiæ, nimirum Pater propter Filii meritum recipit baptizatum in gratiam, & Spiritu ſancto ad ſalutem obſignat.

44. Unde baptizati dicuntur Dei filii, Chriſtiani & ſpirituales, ratione Patris, Filii & Spiritus ſancti.

45. Quò pertinet collatio κτίσεως καὶ ἀνακτίσεως, πλάσεως καὶ ἀναπλάσεως. Ut enim primum hominem Pater per Filium in Spiritu ſancto creavit; ita in regenerationis Sacramento itidem tota ſacroſancta Trinitas operatur.

46. Deniq; verbis iſtis baptizatus in nomen, hoc eſt, agnitionem & invocationem hujus veri Dei obſtringitur, ut eum ſolum loco veri Dei habeat, invocet & per omnem vitam ei deſerviat.

47. Δεῖ

47. Δεῖ γὰρ ὑμᾶς βαπτίζεσθαι, ὡς παρελάβομεν, πιστεύειν δὲ ὡς βαπτιζόμεθα, δοξάζειν δὲ ὡς πεπιστεύκαμεν, πατέρα καὶ υἱὸν καὶ ἅγιον πνεῦμα. Basil. Epist. 78.

48. Ex hoc fonte promanant omnia Encomia, quæ de salutari fructu hujus mysterii in Scriptis Apostolicis extant.

49. Utpote, quòd sit lavacrum regenerationis & renovationis, Tit. 3. v. 5. per quod Ecclesia mundetur, Eph. 5. v. 26. peccata abluantur, Act. 22. v. 16. Christus induatur, Gal. 3. v. 27. & συλληφθῆναι dicendo, salus obtingat, 1. Pet. 3. vers. 21.

50. Prodest collationis gratiâ intueri Baptismum Christi, qui nostrum Baptismum consecravit. Quod enim ibidem in visibilibus symbolis factum est, idem in nostro Baptismo invisibiliter, verè tamen fieri non dubitemus.

51. Pater recipit nos in filios propter Christum: Filius suo sanguine nos abluit: Spiritus sanctus regenerat & renovat

novat atq; in nobis habitaculum ſibi parat, deniq; Paradiſi janua nobis aperitur.

52. Ab hac ſimplicitate & veritate diſcedunt, qui negāt, Baptiſmi aquam verbo ſanctificatam eſſe efficax medium, per quod baptizatus regeneretur & renovetur.

53. Contrà verò aſſerunt, aquam Baptiſmi ſaltem ſignificare & adumbrare, quod interiùs in quibuſdam, & quidem tempore demum futuro agit Spiritus ſanctus.

54. Quinimò negant, fidelium liberos ideò baptizari, ut filii Dei primùm fiant, cùm ante Baptiſmum etiam ſint in gratia Dei & gratiæ fœdere.

55. Baptiſmo autem obſignari ſaltem dicunt adoptionem illam, cujus etiam ante Baptiſmum ſint participes.

56. Neq; in omnibus infantibus hoc Baptiſmi officium eſſe dicunt, ſed in illis ſaltem, qui abſoluto decreto ſunt ad ſalutem electi.

57. Quin & disertè scribunt, pueros nec omnes, nec aliquos reipsa in illo Baptismi momento regenerari: sed regenerationis beneficium suo demùm tempore divinitùs ordinato illum Baptismi actum in infantibus, ex verbi auditu demùm subsequi.

58. Quæ omnia quomodo tandem conciliari poterunt cum egregiis istis encomiis, quæ ab Apostolis huic salutari lavacro tribuuntur?

59. Hac certè ratione nullum omninò Scripturæ dictum, quod de Baptismi fructu agit, propriè & in sensu literali exponi poterit: sed omnia per analogiam illam Sacramentalem non ex Scripturis haustam; sed in eas illatam ad peregrinam sententiam transferuntur.

60. Nos literali verborum sensui (quod omninò in fidei articulis fieri deberi suo loco ostendimus) inhærentes, firmiter credimus, Baptismum esse efficax medium

mediũ, per quod regeneretur & renovetur homo ad vitam æternam.

61. Qui finis in se complectitur υἱοθεσίαν, remissionem peccatorum, insitionem in Christum, sanctificationem & vitæ æternæ hereditatem.

62. Negamus autem Baptismum imprimere characterem indelebilem; aut conferre gratiam ex opere operato; aut tollere & prorsus delere quicquid culpæ & pœnæ rationem habet, de his enim omnibus Scriptura tacet.

63. Porrò cùm Deus in Baptismo fœdus gratiæ cum homine ineat, utiq; efficacia ejus durat per omnem vitam.

64. Fœdus enim Dei non redditur irritum propter nostram incredulitatem, Rom. 3. v. 3.

65. Ergò si vel maximè ex parte nostra à fœdere isto discessum fecerimus, tamen patet ad illud nobis reditus per veram & seriam conversionem.

66. Ad quos pertineat hoc Sacramen-

tum, discimus ex institutione divina, in qua jubentur baptizari omnes gentes.

67. Eo tamen ordine & modo, quem Christus ibidem præscribit, ut qui per ætatem audire Evangelium possunt, priùs doceantur & baptizentur.

68. Cùm ergò omnes homines sint vel infantes, vel adulti, de utrisq; distinctè respondendum.

69. Infantes illi baptizandi sunt, qui vel ex Christianis parentibus nati, (ubi nihil refert, an uterq; parens an alteruter tantùm Christianus sit) vel in ipsorum tutelam sunt translati.

70. Ergò non excluduntur hîc nothi, inventitii, de quorum Baptismo dubitatur, partus ratione externi cujusdam defectus monstrosi &c.

71. Excluduntur autem nondum nati, nemo enim renasci potest, nisi quis priùs natus sit: Item liberi infidelium, quàm diu sunt in ipsorum potestate.

72. A-

72. Adulti illi baptizandi ſunt, qui de Chriſto inſtituti religionem Chriſtianam profitentur.

73. Neq; hîc excluduntur fœminæ, ut præter alia argumenta confirmat praxis Apoſtolica, Act. 8. v. 12. cap. 16. verſ. 15.

74. Sententiæ huic noſtræ de pædobaptiſmo ex Scripturis confirmandæ multa inſerviunt: utile autem erit ſequentes hypotheſes conſiderare :

75. Primò, Infantes concepti & nati ſunt in peccatis, ac proinde Naturâ filii iræ.

76. Secundò, Deus etiam parvulos ſibi vult offerri, non enim eſt voluntas ejus, ut pereat unus de puſillis.

77. Tertiò, Per verbi Prædicationem non poteſt cum illis agi, reſtat ergò unicum illud medium videlicet Baptiſmus, qui ſucceſſit circumciſioni.

78. Cave dicas, Baptiſmum eſſe infantibus inutilem, cùm non credant,

nec possint credere.

79. Quia in Baptismo & per Baptismum Spiritus sanctus fidem accendit in infantibus, ut non minùs quàm circumcisio sit illis signaculum justitiæ fidei, Rom.4.v.11.

80. Quamvis verò non possimus intelligere, quomodo comparata sit illa infantum fides: tamen non debemus propterea Spiritus sancti operationem negare.

81. Si quæras de infantibus sine Baptismo decedentibus, distinctè procedendum.

82. Qui extra Ecclesiam sunt, relinquuntur Dei judicio.

83. Qui verò à parentibus Christianis nati summo aliquo necessitatis casu à Baptismo exclusi non potuerunt baptizari, vel etiam quorum sepulcrum factus est maternus uterus, illi cum piis parentum & Ecclesiæ precib⁹ Deo commendentur, à cœlestis regni consortio non excluduntur.

84. Reliquum eſt, ut de circumſtantiis quibuſdam agamus, quæ in Baptiſmi adminiſtratione ſolent obſervari.

85. Ceremoniæ impiæ & ſuperſtiſæ ſunt rejiciendæ.

86. Sed qui ritus ſuâ naturâ ἀδιάφορει καὶ ἐν μέσῳ κείμενοι, fidei analogiæ non repugnant, ſed potiùs autoritate Apoſtolicâ & primitivæ Eccleſiæ commendantur, actionem inſuper, uſum & efficaciam, imò neceſſitatem & dignitatem Baptiſmi rudioribus conſpectiorem reddunt, non ſunt ſimpliciter & cum Eccleſiæ ſcandalo rejiciendi.

87. Exorciſmus explicandus eſt hoc modo, quòd ſit teſtimonium de ſpirituali captivitate infantum in regno Diaboli: de vi & efficacia Baptiſmi, quâ infantes ex regno Satanæ transferuntur in Regnum Chriſti; & de fine miniſterii Eccleſiaſtici, qui præter

applicationem beneficiorum Chriſti conſiſtit in perpetua contra Satanam pugnā.

88. Habet autem Eccleſia libertatem, ut doctrinam illam de peccato originis, de poteſtate & regno Satanæ & de efficacia Baptiſmi aliis verbis Scripturæ magis conſentaneis proponat & explicet. D. Chemn. part. 3. Locor. Theolog. p. 178.

89. Conſuetudo vetuſtiſſima eſt, ſponſores ſive fidejuſſores, quos patrimos & matrimas vocant, adhiberē: quorum officium eſt. 1. pro infantibus orare, ut Deus per Baptiſmum in gratiam eos recipiat. 2. ſuâ reſponſione hoc ipſum repetere, quod Chriſtus, tanquam os infantum, pro ipſis teſtatus eſt. 3. de mortuis parentibus eos in capitibus pietatis inſtituerē.

nominis impositio

90. Ονομαθεσία rectiſſimè fit in Baptiſmo, non ideò ſolùm, quia etiam in circumciſione olim ea facta eſt: ſed vel

vel maximè, qui admonet in Baptiſmo nomina noſtra ſcribi in libro vitæ, Luc. 10. v. 20. Apoc. 20. v. 15. ac nomen noſtrum in album Chriſtianorum militum referri, ut in poſterum ſub vexillis Chriſti pugnemus.

91. De reliquis Ceremoniis & circumſtantiis alibi plura: unicum hoc addimus, optandum eſſe, ut in frequentiori Eccleſiæ conventu, & quidem antemeridiano tempore Baptiſmus adminiſtretur, atq; ita ſacratiſſimi huj⁹ myſterii adminiſtratio majori cū attentione & devotione peragatur.

92. Neq; tamen ab Eccleſiæ cujuſq; conſuetudine temerè, & privato auſu recedendum eſſe dicimus: nec caſui neceſſitatis leges præſcribimus.

93. Ex quibus omnibus colligimus, quòd Baptiſmus ſit prius N. T. Sacramentum, quo homo vivus in nomine Patris, Filii & Spiritus ſancti in aquam mergitur, vel eâ tingitur, ut regene-

ratus & renovatus fiat hæres vitæ æternæ.

94. Deus, qui per Baptismum nos recepit in fœdus gratiæ, conservet nos in eo εἰς τέλος.

XVIII. APHORISMI THEOLOGICI DE SACRA COENA.

1. POsterius N. T. Sacramentum est Cœna Domini, ab autore & institutionis tẽpore sic dicta, 1. Cor. 11. v. 20.

2. Dicitur etiam Mensa Domini, ut à profanis epulis distinguatur, 1. Cor. 10. v. 20. communicatio corporis & sanguinis Christi, quippe in qua essentia hujus Sacramenti consistit, 1. Cor. 10. v. 16. Testamentum Christi, cum in eo omnia Testamenti requisita appareant, Luc. 22. v. 20. 1. Cor. 11. v. 26. fractio panis, quia per eam panis Eucharisticus ad distributionem olim præparabatur, Act. 2. v. 42. 46. cap. 20. v. 7.

3. Veteribus dicitur Eucharistia, ex 1. Cor.

Cor. 11. v. 26. quia ſolennes Chriſto in uſu hujus Sacramenti agendę ſunt gratiæ: σύναξις ex 1. Cor. 11. v. 20. quia in publica Eccleſiæ congregatione celebrari hęc ſacra Cœna fuit ſolita, ac mutuæ in Chriſto conjunctionis ſymbolum eſt: dilectio ἀγάπη propter epulas ſacras ex muneribus in commune collatis inſtitutas, 1. Corinth. 11. verſ. 21. miniſterium publicum λειτουργία, quia publici miniſterii pars eſt non poſtrema.

4. Miſſæ nomen à formula dimiſſionis veteribus uſitatâ, quâ dicebant ad Catechumenos, energumenos, & excommunicatos, Ite, miſſa eſt, deductum eſſe ſtatuimus, B. Rhenanus ſuper 4. lib. Tertull. adv. Marc.

5. Typi hujus Sacramenti ex V. T. enumerari poſſunt varii & diverſi, potiores autem ſunt Agnus Paſchalis, Exod. 12. verſ. 47. & ſeqq. 1. Corinth. 5. verſ. 7. & Manna, panis ille Angelorum, Exod. 16. verſ. 15. Pſal. 78. v. 26.

verſ. 26. Johan. 6. verſ. 49. 50. 1. Cor. 10. v. 3. 4.

6. Autor hujus Sacramenti, qui illud inſtituit & Eccleſiæ ſuæ commendavit, eſt Chriſtus, Matth. 26. v. 26. Marc. 14. v. 22, Luc. 22. v. 19. 1. Cor. 11. verſ. 23.

7. Qui cum verus & unus cum Patre ac Spiritu ſancto Deus ſit, omnipotens, verax, omniſapiens, Mediator & Salvator noſter; ideò, ſi veri ejus Diſcipuli eſſe & audire cupimus, verbis ejus abſq; ulla tergiverſatione fidem adhibere, atq; in iis acquieſcere debemus, Joh. 8. v. 31.

8. Idem eſt, qui adhuc hodiè corpus & ſanguinem ſuum in panis Evchariſtici & vini Evchariſtici diſtributione manducandum & bibendum per manus miniſtri exhibet.

9. Credite igitur omnes, quia etiam nunc illa Cœna celebratur, in qua Chriſtus recumbebat: nihil quippe intereſt

tereſt inter illam & hanc; nõ enim hæc ab homine, illa ab ipſo conficitur; noli Sacerdotis ſed Chriſti manum ad te porrigi arbitrari. Chryſoſt. hom. 51. in cap. 24. Matth.

10. Non autem ut immediatė hanc Cœnam inſtituit & primitùs adminiſtravit, ita & hodiè immediatè eam adminiſtrat, ſed operâ miniſtrorum Eccleſiæ ad hoc uti ipſi placuit, quippe qui ſunt οἰκονόμοι τῶν τοῦ θεοῦ μυστηρίων, 1. Cor. 4. v. 1.

11. Conſtat autem Evchariſtia duabus rebus: terrenâ, pane ſcilicet & vino, ac cœleſti, corpore ſcilicet & ſanguine Domini, Iren. lib. 4. cap. 34.

12. Quod videtur, panis eſt & calix, quod etiam oculi renunciant: quod autem fides poſtulat inſtruenda, panis eſt corpus Chriſti, calix ſanguis Chriſti: iſta ideò dicuntur Sacramenta, quia in eis aliud videtur, aliud intelligitur; quod videtur, ſpeciem habet corporalem;

lem; quod intelligitur, fructum habet ſpiritualem. Aug. ſerm. ad Neoph. Beda in 1. Cor. 10.

13. Quia igitur panis & vinum diſertâ Chriſti ordinatione ad hoc Sacramentum conſtituta ſunt, ideò neutrum iſtorum Elementorum aliquo analogo permutari debet.

14. Nihil hîc vel ſanctius, vel melius, vel tutius, quàm unius Chriſti autoritate nos eſſe contentos.

15. Ceterùm, an panis ille magnus vel parvus, oblongus vel rotondus: vinum illud an rubrum vel album ſit, ad Sacramenti integritatem nihil intereſt, cùm inſtitutioni Chriſti nihil quicquam decedat.

16. Valdè autem probamus Canonem iſtum Nicœnum: non ſumimus multum, ſed parum, ut agnoſcamus, non ad ſaturitatem, ſed ad ſanctificationem hæc ſumi.

17. Pari modo an panis fermentatus

vel

vel azymus ſit, nihil referre arbitramur, nec probamus iſtam ἀρτομαχίαν, quæ in Græcis & latinis Eccleſiis olim agitata.

18. Interim Eccleſiæ conſvetudinem ſecuti azymo utimur, propter exemplum Chriſti & commonefactiones non contemnendas, quas azymus panis præſtat.

19. Vinum Evchariſticum aquâ miſceri non eſſe neceſſarium ducimus, cùm de ſolo vitis genimine expreſſa mentio extet, Matth. 26. v. 29.

20. Id verò neceſſarium eſſe dicimus, ut omnibus ad venerabile hoc Sacramentum accedentibus non panis ſolùm, ſed & vinum diſtribuatur.

21. Aut Sacramenta integra percipiant, aut ab integris arceantur, quia diviſio unius ejuſdemque myſterii ſine grandi ſacrilegio non poteſt provenire. c. comperimus diſt. 2. de conſecr.

22. Diſtinctè manducatio inſtituitur, diſtinctè

distinctè bibitio, ab illa ſapientia, cui omnis ſapientia humana de inſeparabilitate ſanguinis vivi à carne viva cedere debet, non enim hîc diſputandum eſt ex rationibus humanis, ſed voluntas Chriſti intuenda, qui convivium non mancum inſtituit, ſed cibo addidit potum. Andr. Fric. 4. de Reip. emend. c. 19.

23. Quod Chriſtus conjunxit, homo non ſeparet unquam, Matth. 19. v. 6.

24. Analogias quaſdam inter panem & corpus Chriſti, inter vinum & ſanguinem Chriſti quæri non improbamus, modò officium Sacramentale panis & vini Evchariſtici in eo poſitum eſſe totum, non ſtatuatur.

25. Quippe quod in eo conſiſtit, ut panis Evchariſticus ſit communicatio corporis Chriſti; & calix, cui benedicimus, ſit communicatio ſanguinis Chriſti, 1. Cor. 10. v. 16.

26. Quam veram, realem & ſubſtan-

ſtantialem corporis & ſanguinis Chriſti in Cœna præſentiam firmiter credimus, inhærentes verbis Chriſti, qui de eo, quod in ſacra Cœna manducandum exhibet, illud ſuum corpus eſſe pronunciat, de eo quod bibendum in ea exhibet, illud ſanguinem ſuum eſſe aſſerit, Matth. 26. v. 26. 27. Marc. 14. v. 22. 23. 24. Luc. 22. v. 19. 20. 1. Cor. 11. v. 24. 25.

27. Ab his Teſtamenti Dominici verbis invariatâ trium Evangeliſtarum deſcriptione & Paulinâ repetitione fideliter nobis commendatis, recedere integrum non eſt, quia ſermo, quem locutus eſt Chriſtus, judicabit nos in die noviſſimo, Joh. 12. v. 48.

28. Omnes omninò rimas talibus tropis, per quos ἀπουσία corporis & ſanguinis Chriſti introducitur, cœleſtis ſapientia in verbis Cœnę obſtruxit.

29. Pronunciat enim Chriſtus ſeſe ſuum corpus illud ipſum nimirum,

quod pro nobis in mortem traditum, & ſuum ſanguinem, illum ipſum nimirum, qui pro peccatis noſtris in ara crucis effuſus eſt, manducandum ac bibendum exhibere.

30. Literalem igitur verborum ſenſum, perinde ut in reliquis locis omnibus, in quibus articuli fidei tanquam in propria ſede traduntur, arctè hîc tenemus.

31. Facit hoc ad conſcientiæ ſolidam quietem, quæ ubi à verbis Chriſti diſcedit & peregrinam ex aliis locis quærit ſententiam, in quo conſiſtat, nullibi invenit.

32. Neq; hîc veritatem humanæ Naturæ in Chriſto, ejuſdemq́ue ad cœlos aſcenſionem quisquam nobis opponat, quippe hos articulos immotâ fidei certitudine, perinde ut hunc de vera corporis & ſanguiuis Chriſti in Cœna præſentia articulum amplectimur.

33. Damus Chriſto hunc honorem, quòd

quod vi suæ promissionis salvâ humanæ suæ Naturæ integritate corp⁹ & sanguinem suum in Cœna nobis exhibere possit, licet quomodo hoc fiat vel fieri possit, nosmet investigare nõ possim⁹.

34. Nimirum plura præstare potest, quàm nos intelligimus, Eph. 3. v. 20. quod pronunciatum Spiritus sancti imis sensibùs reponere jubemus.

35. Ex eo enim evidenter colligitur, judicium de vera contradictione in articulis fidei non esse humanæ rationi commendandum.

36. Adde quòd legitima & Scripturis consona articulorum istorum de unione personali assumtæ Naturæ cum λόγῳ & ascensione Christi ad cœlos, eamque immediatè secutâ sessione ad dextram Dei, explicatio, potentiam illam, quâ hoc facere Christus possit, quod promisit, evidenter asserat, tantùm abest, ut τὸ ῥητὸν verborum Cœnæ labefactet.

37. Nemo etiam vel localem incluſionem corporis in panem, & ſanguinis in vinum, vel impanationem, vel incorporationem in panem, vel inexiſtentiam phyſicam, vel deliteſcentiam corpuſculi ſub pane, vel penetrationem duorum corporum, vel Capernaiticam κρεοφαγίαν nobis objiciat, vel etiam hîc cogitet.

38. Quippe hæc omnia ſunt humanæ rationis modum Sacramentalis pręſentię inquirere ſatagentis ſomnia, ex calumniandi libidine pleraq; profecta.

39. Panem Evchariſticum eſſe communicationem corporis Chriſti, vinum Evchariſticum eſſe communicationem ſanguinis Chriſti cum Apoſtolo dicimus, modum inveſtigari poſſe negamus.

40. Detur ergò gloria verbis Chriſti, & faceſſant tandem triſtes contentiones.

41. For-

41. Forma hujus ſacramenti conſiſtit in panis & vini εὐλογίᾳ ſive benedictione: benedicti panis & vini diſtributione: diſtributi panis & vini manducatione atq; bibitione.

42. εὐλογία illa ſacramentalis non conſiſtit in Magica quadam panis in corpus Chriſti & vini in ſanguinem Chriſti per occultam quandam vim in verbis iſtis latentem converſione.

43. Sed eſt ſacra & efficax elementorum externorum ad uſum Sacramentalem deſtinatio, quæ ob id Conſecratio dicitur.

44. Quando igitur miniſter Eccleſiæ ſecutus ordinationem Chriſti & exemplum Apoſtolorum (de quo Gregor. lib. 7. cap. 63. in Regiſtro, Platina in vita Xyſti primi & alii complures) verba inſtitutionis repetit, iiſdemq; orationem Dominicam præmittit, minimè ſtatuamus, hanc eſſe verè hiſtoricam textus lectionem:

45. Sed Miniſter primò teſtatur, quòd non proprio arbitrio hîc agat aut agere velit, ſed tanquam legitimus myſteriorum Dei œconomus ſacrã & ſolennem actionem Chriſti nomine inſtituere.

46. Deinde hac ratione panem & vinum præſens ad ſacrum uſum ſegregat, ut in poſterum non amplius ſint merè panis & vinum, ſed corporis & ſanguinis Chriſti vehicula ὀχήματα.

47. Tertiò ſeriò rogat, ut Chriſtus ſuæ promiſſionis memor huic Sacramentali actioni adeſſe, ſuumque corpus & ſanguinem cum his externis ſymbolis diſtribuere velit:

48. Deniq; teſtatur, quòd vi inſtitutionis & promiſſionis Dominicæ panis Evchariſticus ſit communicatio corporis, & calix benedictionis ſit communicatio ſanguinis Chriſti, atque admonet omnes acceſſuros, ut meminerint, ſe eſſe hoſpites Chriſti, verâ fide ejus verbis innitãtur, ac de ſeria pręparatione & ſalutari uſu ſeriò ſint ſoliciti.

49. Ceterùm per conſecrationem ſive ~~benedictionem~~ εὐλογίαν panem in corpus Chriſti, vinum in ſanguinem Chriſti converti Scriptura non ſolùm nuſpiam dicit, ſed etiam contradicit.

50. Parùm etiam roboris huic & nomine & re barbaræ transſubſtantiationi accedit ex diſputationibus recentiorum, qui eam ſic explicant, quòd corpus Chriſti fiat ex pane non tanquam ex materia, quomodo factum eſt ex carne Mariæ Virginis: ſed tanquam ex termino à quo, quomodo ex nihilo factum eſt cœlum, ex die fit nox, & ex aqua factum eſt vinum.

51. Præterquam enim, quod à prædeceſſorum ſuorum ſententia diſcedunt (quippe qui eſſentialem panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti converſionem ſtatuunt) ſeipſos inſuper difficultatibus involvunt maximis.

52. Qui enim dicit, ſubſtantiam unam

in alteram converti, quando in ejus locum ſuccedit, is abutitur nominibus.

53. Quis unquam dixit, nihilum transſubſtantiatum fuiſſe in Cœlum, diem transſubſtantiari in noctem?

54. Si verò eo modo ex pane fit corpus Chriſti, ſicut ex aqua factum eſt vinum, conſequitur eſſentiam panis converti in corpus Chriſti, perire accidentia panis, Miſſifices eâdem poteſtate mutare panem in corpus Chriſti, quâ Chriſtus mutavit aquam in vinum, & ſic eſſe creatoris ſui creatores, ut loquitur Stella Clericorum.

55. Sacramentum Chriſtus inſtituere voluit, non novam creationem: communicationem corporis & ſanguinis ſui per externa illa Elementa inſtituere voluit, non autem Elementorum in rem cœleſtem transſubſtantiationem.

56. Atq; ut appareat, quâm omninò nullum

nullum in verbis Christi, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus, habeant fundamentum, audiemus prætermissis reliquis vel unicum hac de re Bielem scholasticæ Theologiæ compilatorem.

57. Sic autem ille lib. 4. sentent. dist. 11. q. 1. art. 3. dub. 1. Omnes propositiones affirmativæ, in quibus termini significantes panem & corpus Christi ponuntur in casu nominativo, falsæ sunt: panis est corpus Christi; quod est panis, est, fuit, erit, seu potest esse corpus Christi (disputat autem ex hypothesi transsubstantiationis) Veræ propositiones sunt, in quibus terminus à quo, id est, panis & vinum exprimitur per Ablativum cum Præpositione Ex vel De, aut terminus ad quem, id est, corpus & sanguis Christi per Accusativum cum Præpositione: Veræ ergò sunt, ex pane fit corpus Christi, de vino fit sanguis Christi, veræ & hæ:

Panis tranſit, convertitur, vel tranſſubſtantiatur in Chriſti corpus. Hactenus Biël.

58. Corruit ergò tota ſtructura, quam pro extruenda transſubſtantiationis turri ædificant ſuper verba Chriſti, nuſpiam enim Chriſtus dixit, Ex hoc pane fit meum corpus, de hoc vino fit meus ſanguis.

59. Transſubſtantiationi ſuperſtructa eſt Elementorum externorum repoſitio, circumgeſtatio, ac adoratio: idem ergò de illis judicium.

60. Altera Sacramentalis actio eſt diſtributio, cui inſervit fractio.

61. Nihil igitur intereſt, ſive ante ſive poſt ευλογιαν fractio fiat: modò diſtributio accedat.

62. Fractio enim peculiarem actum Sacramentalem non conſtituit, ſed eſt actus miniſterialis & præparatorius.

63. Nihil quoq; addit vel demit integritati Sacramenti, ſive in os ſive in

manus

manus communicantium Elementa externa dentur.

64. Semper enim distinguenda sunt res & rei modus, δόσις καὶ δόσεως τρόπος.

65. Qui disputant, fractionem esse peculiarem actum Sacramentalem passionis Dominicæ repræsentativum, transferunt hoc in actionem toto genere diversam, quam est à Christo institutum.

66. Ex institutione enim Christi panis est medium & organum, per quod manducantibus corpus suum Christus distribuit: illi dicunt esse signum, quod significet corpus Christi, sicut fractio panis significat crucifixionem.

67. Afferunt ergò suæ sententiæ clara & perspicua ex verbis institutionis fundamenta, & ostendant veram ac propriè dictam in corpore Christi fractionem per hanc ἀρτοκλασίαν repræsentatam.

68. Quin

68. Quin & in altera ſacræ Cœnæ parte eandem repræſentationem nobis monſtrent, aut propter ritum ſuâ naturâ adiaphoram Eccleſias turbare ceſſent.

69. Tertia Sacramentalis actio eſt manducatio & bibitio, quæ non reſpicit panem ſolum ſive ſeorſim, & vinum ſolum ſive ſeorſim: ſed illum panem, qui eſt communicatio corporis Chriſti, illud vinum, quod eſt communicatio ſanguinis Chriſti, 1. Cor. 10. v. 16.

70. Manducatio illa nec eſt merè naturalis, nec merè ſpiritualis: ſed Sacramentalis, ex unione panis & corporis Chriſti Sacramentali dependens.

71. Ut ergò unio Sacramentalis per quam in vero & legitimo uſu, corpus Chriſti cum pane, ſanguis Chriſti cum vino unitur; ita quoque manducatio (& bibitio) Sacramentalis à veracis & omnipotentis Chriſti inſtitutione dependet: humanâ autem ratione compre-

pre-

prehendi nec poteſt, nec inveſtigari debet.

72. Si ergò ſpiritualem manducationem opponis naturali, carnali, phyſicæ, locali & Capernaiticæ, rectè dicimus, corporis Chriſti cum pane manducationem eſſe ſpiritualem.

73. Si verò per ſpiritualem manducationem intelligis eam, de qua Joh. 6. agitur, illa pertinet ad fructum Cœnæ, utique ergò non ad ejus eſſentiam.

74. Finis ſacræ Cœnæ proponitur in verbis illis Chriſti, Hoc facite ad mei commemorationem.

75. Quæ ἀνάμνησις respicit verba præcedentia, quòd nimirum in Cœna manducetur illud corpus, quod pro nobis in mortem traditum, & bibatur ille ſanguis, qui pro noſtris peccatis in ara crucis eſt effuſus.

76. Ex quo apparet, primarium ac principalem ſacræ Cœnæ finem eſſe fidei confirmationem.

77. Quæ in ſeſe etiam hos fructus complectitur, quòd in vero ac ſalutari uſu ſacræ Cœnæ promiſſio de remiſſione peccatorum obſignetur, gratia in Baptiſmo accepta confirmetur, amicabile fœdus inter Deum & hominem inſtauretur, dona ſpiritualia augeantur, ἐμφύτευσις in Chriſtum renovetur, deniq; quod incorruptibili cibo ad vitam æternam fidelis paſcatur.

78 Breviter; hæc ſumpta & hauſta faciunt, ut Chriſtus in nobis, & nos in Chriſto maneamus. Hilar. 8. de Trin.

79. ἄρτος εὐχαριστικὸς Ignatio eſt φάρμακον ἀθανασίας, καταρτήριον ἀλεξικακόν: Baſilio ἐφόδιον ζωῆς αἰωνίου, εὐπρόσδεκτος ἀπολογία ἐπὶ τοῦ φοβεροῦ ῥήματος θεοῦ: Damaſceno ἀρραβὼν τῆς μελλούσης ζωῆς καὶ βασιλείας.

80. Minùs principales fines enumerari poſſunt complures, uſu enim hujus Sacramenti Deo obœdientiam,

Chriſto

Chriſto gratam beneficii memoriam, hominibus pœnitentiam noſtram, conſenſum in doctrina & ſerium caritatis ſtudium comprobamus.

81. Sed vel propitiatorium vel impetratorium ſacrificium eſſe hoc myſterium, id verò pernegamus.

82. Unicus enim eſt Novi Teſtamenti Sacerdos, unicum ſacrificium ἱλαςήριον, unica oblatio.

83. Ad uſum ſacræ Cœnæ admittendi non ſunt niſi Chriſtiani & quidem ſoli illi, qui ſe probare poſſunt, 1. Cor. 11. v. 28.

84. Ex quo intelligitur, quid de notoriis peccatoribus, qui ſe probare nolunt, quid etiam de pueris & aliis, qui ſe probare non poſſunt, ſtatuendum.

85. Vera illa probatio conſiſtit in ſeria peccatorum agnitione, & deteſtatione, vera in Chriſtum fide, & ſerio vitam emendandi propoſito.

86. Ve-

86. Vera illa in Christum fides etiam hoc complectitur, ut veram corporis & sanguinis Christi in Cœna præsentiam quis profiteatur.

87. Indigni sibiipsis judicium manducant & bibunt, eò, quòd non discernant corpus Christi, 1. Cor. 11. v. 29.

88. Quia enim de hoc pane (qui est communicatio corporis Christi) indignè manducant & de hoc calice (qui est communicatio sanguinis Christi) indignè bibunt, ideò sunt rei corporis & sanguinis Christi 1. Cor. 11. v. 27.

89. Ad Sacramenti ergò integritatem nihil interest, quâ fide quis accedat, sed ad salutarem usum plurimùm omninò interest. August. 3. contra Donat. c. 14.

90. De tempore, loco & reliquis sacræ Cœnæ circumstantiis rogati, respondemus pronunciato illo Apostolico, πάντα κατὰ τάξιν καὶ εὐσχημόνως, 1. Cor. 14. v. 40.

91. Ex-

91. Excitet olim Deus corpora nostra è ſepulchris ad vitam, cùm ſint Chriſti corpore & ſanguine nutrita. Iren, lib. 4. adv. hær. cap. 34.

XIX. APHORISMI THEOLOGICI DE ECCLESIA.

1. PEr verbum & Sacramenta efficaciter operante Spiritu ſancto colligitur Deo in his terris Eccleſia.

2. Quæ ideò ſic dicitur, quia ex genere humano evocata in ſanctum cœtum congregatur.

3. Eſt enim Eccleſia cœtus hominum miniſterio verbi & Sacramentorum ad regnum Dei congregatorum, in quo cœtu ſemper ſunt aliqui verè pii, perſeverantes in vera fide uſq; ad finem, quibus mixti ſunt multi non ſancti, profeſſione tamen doctrinæ conſentientes.

4. Hic cœtus, quia ſub vexillo Chriſti contra Diabolum, mundum & car-

nem aſſiduè ei decertandum, Eccleſia militans dicitur.

5. Et quia miniſterium docendi verbum & Sacramenta adminiſtrandi in ſenſus incurrit, ideò idem cœtus dicitur Eccleſia viſibilis.

6. Sed enim ſiquidem oculis hominum non eſt conſpicuum, quinam in illo cœtu ſint verè credentes, & pii, ideò eorum reſpectu Eccleſia inviſibilis dicitur.

7. Proinde diſtinctio illa in Eccleſiam viſibilẽ & inviſibilem non introducit duas veluti diſtinctas Eccleſias ſive diverſos cœtus.

8. Sed cœtum vocatorum κατ' ἄλλον ἢ ἄλλον τῆς προλήψεως τρόπον, videlicet ἔξωθεν ἢ ἔσωθεν conſiderat.

secundum alium atq alium acceptionis modum

externe vel interne

9. Internum Eccleſiæ decus conſiſtit in fide & renovatione, cum quibus immediatè conjuncta vitæ æternæ hereditas.

10. Illa ſpiritualis regeneratio ac renova-

novatio infirmitatibus carnis: hæc vitæ æternæ communio ſcandalo crucis & mortis, velut quodam velamine in hac vita tegitur, atque eo nomine Eccleſia inviſibilis dicitur.

11. Externum Eccleſiæ decus conſiſtit in ſincera verbi prædicatione (atq; profeſſione) & legitima Sacramentorum adminiſtratione: quo reſpectu Eccleſia viſibilis dicitur.

12. Ut ergò quis ſit verum ac vivum in hoc myſtico Chriſti corpore membrum, non ſufficit externa illa ejuſdē doctrinæ profeſſio & eorundē Sacramentorum participatio, ſed accedat oportet interna *Spiritus S.* regeneratio & inhabitatio.

13. Neque tamen extra Eccleſiam viſibilem quærēda inviſibilis: ſed hæc illi incluſa eſt; quia extra cœtum vocatorum non ſunt quærendi electi.

14. Neque quærenda eſt ullibi gen-

tium ſeparata & pura illa electorum invisibilis Eccleſia ab omnibus hypocritis exteriùs ſegregata.

15. Hîc enim (in hac vita) cum Hieroſolymitanis habitat Jebuſæus; hîc in horto patrisfamiliàs ſimul ſunt ſaliunca & abies, urtica & myrtus; in grege Jacobi animalia alba & nigra, agni & hœdi; in reti Petri piſces boni & mali; in agro Domini lilia inter ſpinas; in area Domini granum cum palea; in cella Chriſti vinum cum agreſta, oleum cum amurca; in arca Noæ animalia munda & immunda.

16. Hic cœtus, hæc Eccleſia pulcerrimis & honoratiſſimis ornatur à Spiritu ſancto in Scriptura encomiis.

17. Vocatur enim Corpus Chriſti, Sponſa Chriſti, regnum Dei, peculium Dei, populus dilectus &c.

18. Sunt autem omnes hæ appellationes ſynecdochicæ; ſiquidem Eccleſiæ illa encomia tribuuntur propter

verè

verè renatos & electos, qui ſunt in iſto cœtu.

19. Evidens enim inter verè renatos & hypocritas externâ ſolùm profeſſione Eccleſiæ conjunctos, eſt & manet diſcrimen.

20. Illi ſunt Eccleſiæ membra vera & viva, quia à capite Chriſto Spiritum & vitam hauriunt: hæc ſunt membra putrida & emortua; illi pertinent ad Eccleſiam internè, hi externè; illi in corde, hi in externa ſpecie; illi ὄντως, hi οἰομένως; illi judicio Dei, hi tantùm hominum; illi vt veræ & ſanæ corporis partes, hi ut ſcabies & mali humores; illi propriè loquendo de Eccleſia, hi tantùm ſunt in Eccleſia. Auguſt. in brevic. collat. collat. 3. in Johan. tract. 6. de Bapt. lib. 3. cap. 18. &c.

21. In Symbolo Apoſtolico Eccleſia dicitur una, ſancta, Catholica & Apoſtolica.

22. Una dicitur propter unitatem

Spiritus, quam exponit. Apostolus Ephes. 4. v 3. & seqq Unum est corpus & unus spiritus, sicut & vocati estis in unam spem vocationis vestræ: Unus Dominus, una fides unum Baptisma; unus Deus & Pater omnium, qui est super omnia & per omnia & in omnibus vobis.

23. Sancta dicitur, quia à Christo per Spiritum & verbum sanctificatur: quæ sanctitas consistit in hac vita, in sanctitatis Christi imputatione & veræ sanctitatis studio: sed in futura vita demum sanctitas illa perficietur.

24. Catholica dicitur respectu fidei Catholicæ, quæ æstimanda est ex communi omnium piorum, quocunque tempore & loco vixerint, vel adhuc vivunt, in vera doctrina consensu.

25. Consensum autem illum Catholi-

tholicis Prophetarum & Apoſtolorum ſcriptis, quæ ſunt unicum Eccleſiæ fundamentum, niti omninò oportet. Epheſ. 2. v. 20.

26. Apoſtolica dicitur reſpectu doctrinæ Apoſtolicæ, quia ab Apoſtolis (qui nihil docuerunt extra Moſen & Prophetas. Act. 26. v. 22.) in N. Teſtamento propagari cœpta, eorundem doctrinâ in Scripturis ſonante, adhuc hodiè colligitur.

27. Ex quibus facilè colligitur, quæ ſint vera veræ Eccleſiæ τεκμήρια, videlicet pura verbi prædicatio, & legitima Sacramentorum adminiſtratio.

28. Cùm enim Eccleſia nihil aliud ſit, quàm cœtus veram Chriſti doctrinam publicè profitentium ac Sacramentis legitimè utentium, & verò nulla certior rei nota, quàm ipſius forma, utique has, & nullas alias eſſe genuinas atque proprias Eccle-

ſiæ teſſeras concludimus.

29. Si quæ aliæ aſſignantur notæ, videlicet nomen Catholicum, antiquitas, duratio, amplitudo, ſucceſſio Epiſcoporum, felicitas temporalis &c. communes ſunt Eccleſię cum aliis cœtibus, nec ullum habent momentum, niſi cum notis illis noſtris exactè congruant.

30. Qua de re annotamus verba Stapletoni in relect. princ. fidei controv. I. quæſt. 4. art. 5. p. 113. Quemadmodum diſcernunt hominem à bruto, parvuli quidem per externa lineamenta corporis & figuram hominis, quia iudicium eorum non excedit ſenſum: adulti verò & rationis uſum habentes, indocti tamē & rudes per operationes vitæ & functiones propriè humanas, ut loqui more humano, ambulare, & ſimilia; Sapientes autem & prudentes, quorum judicium altius penetrat per animi prudentiam aliasq; dotes homini

mini adhuc magis excellenter proprias.

31. Sic Ecclesia Christi à sapientibus quidem & spiritualibus ipsis, quales sunt Ecclesiæ Magistri & Pastores, cognoscitur per sanam doctrinam & rectum Sacramentorum usum: ab imperitis autem fidelibus & parvulis in fide, qui de doctrina ipsa in suis causis principiis & mediis considerata judicare non possunt ab ipsis quoq; infidelibus, qui parum aut nihil de Ecclesia norunt, per externam faciem & multitudinem populorum credentium atq; Pastorum.

32. Hanc Stapletoni comparationem accuratè notari jubemus. Ex ea enim concludi potest, notas nostras esse proprias, genuinas & spiritualibus hominibus accommodatas: ipsorum verò dubias & incertas.

33. Externam speciem Ecclesiæ per lineamenta adumbratam libēter ipsis

concedimus : relinquant nobis illi animam.

34. Eodem pertinet, quod Bellarminus disertè fatetur, notis illis, quas ipsemet assignaverat, non effici evidenter verum, Romanam Ecclesiam esse veram Dei Ecclesiam, sed tamen effici evidenter credibile lib. 4. de Eccles. c. 3. col. 210.

35. Porrò cùm prædicatio Evangelii & Sacramentorum administratio non in omnibus particularibus Ecclesiis, pari sinceritate fiat : sed à quibusdam fermentum humanarum traditionum & opinionum puræ verbi divini massæ admisceatur, ideò hoc respectu & sensu Ecclesia dicitur purior vel impurior.

36. Sic Christus audiri jubet Scribas & Pharisæos in Cathedra Mosis sedentes, Matth. 23. vers. 2. id est, doctrinam à Mose traditam proponen-

ponentes, Interprete Biele 4. ſent. diſt. 1. q. 4. art. 3. interim tamen etiam jubet à fermento eorum, id eſt, à falſa doctrina ipſorum cavere, Matth. 16. verſ. 6.

37. Poteſt DEUS etiam per corruptum miniſterium ſpirituales filios ſibi generare, Ezech. 16. verſ. 20.

38. Puriores ſæpè ſunt aures diſcentium, quàm labia docentium.

39. Sic Papatus non eſt vera & pura Eccleſia: interim tamen ſuperioribus temporibus DEUS ſibi ſub Papatu collegit, & adhuc hodiè in media Roma ſibi colligit Eccleſiam.

40. Eccleſiæ noſtræ è Romana Babylone egreſſæ juxta divinum mandatum, Jerem. 15. verſ. 19. ſepararunt pretioſum à vili, Scripturas Propheticas & Apoſtolicas ac doctrinam illis conformem, ab humanarum traditionum fermento

ſegre-

ſegregatam acceptârunt & adhuc profitentur.

41. Ecquis ergò Apoſtolicæ Eccleſiæ nomen noſtræ denegare poterit? qualis doctrina, talis Eccleſia; doctrina Apoſtolica efficit Eccleſiam Apoſtolicam.

42. Aut ergò convincant nos ex Propheticis & Apoſtolicis Scriptis, quòd à doctrina Prophetarum ac Apoſtolorum ſeceſſionem fecerimus: aut nomen Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſię nobis relinquant.

43. Ubi accuratè obſervari jubemus, quod Acta Comitiorum Auguſtanorum Anni 30. teſtentur, præcipuos ex adverſariis tum fuiſſe cõfeſſos ex Scripturis oblatam fidei noſtræ confeſſionem refutari non poſſe.

44. Subjungimus ergò ex Auguſtini Epiſt. 166. In Scripturis didicimus Chriſtum, in Scripturis didicimus Eccleſiam; quare non in eis & Chriſtum

&

& Ecclesiam communiter retinemus?

45. Occinimus etiam illis istud ex August. de unit. Eccles. c. 2. Inter nos & Donatistas (Romanenses) quæstio est ubi sit Ecclesia? Quid ergò facturi sumus? In verbis nostris eam quæsituri, an in verbis Capitis sui Domini nostri? puto quòd in illius verbis eam quærere debeamus, qui veritas est & optimè novit corpus suum.

46. Quin urgemus exclusivam Chrysostomi hom. 49. operis imperf. in Matth. nullo modo cognoscitur volentibus cognoscere, quæ sit vera Christi Ecclesia, nisi tantummodò per Scripturas.

47. Verbum Dei, quod hodiè non nisi in Propheticis & Apostolicis Scriptis extat, est semen, est fundamentum, est anima Ecclesiæ: ab illius tramite si Ecclesia abit, in errores abit, atq; eò quidem graviores, quò à sinceritate verbi longiùs recedit.

48. Ex

48. Ex quo facilè colligi potest, quid statuendum sit de quæstione illa: an Ecclesia errare possit.

49. Distinguendum enim inter Ecclesiam Catholicam, & inter particulares Ecclesias.

50. Distinguendum denique inter errores evertentes fundamentum, & inter stipulas fundamento superstructas.

51. Distinguendum deniq; inter Ecclesiam visibilem & invisibilem.

52. Romanenses, quando satis diu & fortiter disputârunt de infallibili Ecclesiæ judicio, tandem nos deducunt ad unicum Papam. Ipsa infallibilitas ait Bell. 4. de Pontif. c. 2. non est in cœtu Consiliariorum, vel in Concilio Episcorporum; sed in solo Pontifice.


53 Populus fidelis non errat, si sequitur Pastores suos: Pastores non errant, si sequuntur suos Episcopos: Epi-

Episcopi non errant, si sequuntur Papam. Ergò immunitas illa Ecclesiæ ab errore à Papa solo apud ipsos descendit.

54. Quod illi Papæ, nos Christo per Scripturas & in Scripturis Ecclesiam docenti tribuimus: Ecclesia non errat, quatenus & quandiu sequitur vocem Christi & regimen Spiritus sancti.

55. Deniq; eo fine Deus Ecclesiam colligit, ut habeat cœtum, à quo in hac & futura vita rectè agnoscatur, celebretur & glorificetur.

56. Ecclesia militans in terris, est seminarium Ecclesiæ triumphantis in cœlis, cui associet nos Christus Ecclesiæ caput, cui sit gloria in æternum.



XX. APHO-

XX. APHORISMI THEOLOGICI DE MINISTERIO ECclesiastico.

1. TRes sunt in Ecclesia status sive ordines à Deo instituti omnes: Ecclesiasticus, Politicus & Oeconomicus.

2. Vocantur communiter tres Hierarchiæ.

3. Ordo Ecclesiasticus in Scripturis vocatur διακονία καὶ λειτουργία.

4. Ergò non est δεσποτικὴ quædam κυριότης.

5. In hoc Ministerio Ecclesiatico consideranda sunt, Legitima ad illud vocatio, & fidelis ejusdem administratio.

6. Vocatio Ministris Ecclesiæ utiq; necessaria est, & ea quidem legitima.

7. Quomodo enim prædicabunt nisi missi fuerint? Rom. 10. v. 15.

8. Jus vocandi ministros Deo competit,

petit, is tanquam Dominus messis operarios mittit in messem suam, Math. 9.v.38.

9. Vocat autem Deus Ministros Ecclesiæ tùm immediatè, tùm mediatè.

10. Immediata vocatio Prophetarum in V. & Apostolorum, in N. T. propria est.

11. Eam D. Apostolus Gal. 1.v.1. sic describit: Quòd fiat ab ipso Deo, non ab hominibus neq; per homines.

12. Cum qua descriptione minimè pugnat, quòd interdum per Prophetam vel Apostolum aliquem, vel etiam per sortem immediata ista Dei vocatio exteriùs declaratur.

13. Immediatam vocationem semper extraordinaria quædam divina dona & testimonia comitantur.

14. Neq; tamen per illa dona & testimonia miracula intelligi volumus.

15. Siquidem Johannes Baptista nullum edidit signum, Johan. 10. v. 41.

quem tamen immediatè vocatum eſſe conſtat.

16. Sed per iſta immediatæ vocationis teſtimonia peculiaris Spiritus ἀποδείξις, & efficacia ſingularis miniſterii ipſorum intelligatur.

17. Qui immediatè à Deo vocati ſunt, illorum doctrinæ, utpote quam Spiritu Dei φερόμενοι proferunt, 2. Pet. 1. v. 21. ſimpliciter fides eſt habenda.

18. Unde dicimur extructi ſuper fundamentum Prophetarum & Apoſtolorum, Eph. 2. v. 20.

19. Habent etiam eo modo vocati hoc privilegium, quod non ſint ad certam quandam Eccleſiam Topicam alligati, ſed ubiq; prædicandi poteſtate inſtructi.

20. Ex quo apparet, vocationem ejuſmodi potiſſimum habere locum, vel in Eccleſia conſtituenda, vel eadem ab erroribus repurganda.

21. Mediata vocatio eſt, quæ fit à

Deo

Deo per homines idoneos juxta Canonem in Dei verbo expressum.

22. Ubi accuratissimè observandum, mediatam vocationem non minùs esse divinam, quâm est immediata illa altera.

23. Deus enim est, qui in Ecclesia constituit non tantùm Prophetas, Apostolos & Evangelistas, sed etiam Doctores & Pastores, 1. Cor. 12. v. 28. Eph. 4. v. 11.

24. Ephesinæ Ecclesiæ ministri à Spiritu sancto dicuntur constituti, quamvis Paulus per manuum impositionem ministerium ipsis commendaverat, Act. 20. 28.

25. Adhuc hodiè Spiritus sanctus arguit mundum per ministerium eorum qui mediatè vocantur, Joh. 16. v. 8.

26. Mediatam illam vocationem peragit Deus ministerio Ecclesiæ.

27. Ei enim concredidit verbi sui depositum, Rom. 3 v. 2. ei tradidit Sa-

cramenta, eidem tanquam Sponſæ ſuæ, claves regni cœlorum commiſit, Matth. 18. v. 17.

28. Ergò totius Eccleſiæ eſt jus vocandi miniſtros, certâ tamen ratione atq; ordine in Scripturis expreſſo.

29. Qualem autem vocandi rationem atque ordinem intelligamus, ex præceptis & praxi Apoſtolorum conſtat.

30. Quoſcunq; probaveritis per Epiſtolas (dicit Apoſtolus 1. Cor. 16. v. 3.) hos mittam, 1. Tim. 3. v. 7. oportet Epiſcopum habere bonum teſtimonium, 1. Tim. 5. v. 22. manus citò nemini impoſueris, antequam ſcilicet Eccleſiæ teſtimonium & conſenſus accedat.

31. Conjunge etiam praxin Apoſtolicam, Act. 16. v. 3. in electione & ordinatione Diaconorum, Apoſtoli ſic loquuntur: Diſpicite fratres ex vobis viros ſeptem idoneo teſtimonio ornatos,

tos, plenos Spiritu ſancto & ſapientiâ, quos præficiamus huic negocio, Act. 14. v. 23. per ſuffragia (χειροτονήσαντες) creantur per ſingulas Eccleſias Preſbyteri.

32. Hinc veteres iſti Canones. Nulla ratio ſinit, ut inter Epiſcopos habeantur, qui nec à Clericis electi, nec à plebibus expetiti, nec à comprovincialibus Epiſcopis cum metropolitani judicio conſecrati, c. nulla. diſt. 62. ex Leone Ep. Rom.

33. Item: ſint à plebe expetiti, à Clericis electi, Epiſcoporum judicio ordinati.

34. Item: Qui futuri ſunt Sacerdodes, ab Epiſcopis poſtulentur, teneatur ſubſcriptio Clericorum, honoratorum teſtimonium & conſenſus plebis.

35. Peculiariter notandus locus Cypriani lib. 1. Epiſt. 4. plebs maximè habet poteſtatem vel eligendi dignos Sa-

cerdotes, vel indignos recusandi, quod & ipsum videmus de divina autoritate descendere, ut Sacerdos plebe præsente sub omnium oculis eligatur, & dign⁹ atque idoneus publico judicio ac testimonio comprobetur.

36. Quare, cùm ad totam Ecclesiam pertineat jus vocandi ministros, nec solum Presbyterium, nec solus Magistratus, nec reliqua multitudo sibi soli illud vendicet vel usurpet.

37. Quod enim omnes tangit, ab omnibus curari debet.

38. Ordine tamen omnia debent fieri & confusiones vitari, 1. Cor. 14.

39. Vocationis hujus publica & solennis testificatio est ordinationis ritus, quo in conspectu Dei & coram tota Ecclesia, per manuum impositionem, persona legitimè vocata è reliqua multitudine ad hoc munus separatur, precibus Deo commendatur, & vocationi antegressæ publicum testimonium defertur.

40.

40. Ordinationem esse Sacramentum negamus, propriè & strictè Sacramenti voce acceptâ.

41. Caret enim Elemento externo ab ipso Christo disertè in N. T. instituto, caret etiam promissione de applicatione & obsignatione gratiæ Evangelii propriæ.

42. Ordinationem antecedit accurata ἐξέτασις, quâ in confessionem, eruditionem, donum docendi & vitam ordinandi inquiratur.

43. Norma hujus examinis proponitur, 1. Tim. 3. & Tit. 1.

44. Ubi tales virtutes requiruntur ab eo, cujus munus docendi in Ecclesia committendum, quæ vel sint communes ipsi cum aliis verè piis, vel ipsi propriæ & peculiares.

45. Communes sunt, quòd debeat esse ἀνεπίληπτον, μιᾶς γυναικὸς ἀνήρ, νηφάλεον, σώφρων, κόσμιον, φιλόξενον, μὴ πάροινον, μὴ πλήκτης, μὴ αἰσχροκερδής,

cupidus sed, aequus non litigiosus, non avarus
κερδης, ἀλλ' ἐπιεικης, ἀμαχος, ἀφιλαργυρος &c. 1. Tim. 3. v. 2. 3. 4. & seqq. Tit. 1. v. 6. 7. 8.

46. Facit autem Apostolus communium harum virtutum mentionem ideò, quia vitæ integritas non solùm propter istas causas à ministris requiritur, quæ eandem à reliquis Christianis flagitant, sed etiam peculiariter hoc nomine, ne ministerium ipsorum calumniis sit obnoxium, atq; ita fructificationi verbi impedimentum vel certè remora afferatur.

47. Unius uxoris virum esse in Episcopo requirit Apostolus, ut obturet ora hæreticis, qui nuptias criminantur, ostendens, quòd negocium hoc non sit impurum, sed adeò honorabile, ut cum eo possit, quis etiam sacrum Episcopatus thronum ascendere. Chrysost. in cap. 1. Epist. Tit.

48. Proinde cœlibatus non est jure divino Ordini Ecclesiastico annexus.

49. ἐγκρά-

49. ἐγκράτειαν (continentiam) enim illam, quam ibidem in Episcopo requirit Apostolus, de voto cœlibatus intelligendam esse tum demum probabitur, quando ostensum fuerit, nullam esse in piorum conjugio ἐγκράτειαν, Eclesia st. 26. v. 20. Gal. 5. v. 22.

50. Sed nec arcet hoc suo pronunciato Apostol⁹ à ministerio eos qui defunctá uxore aliam legitimè sibi sociarint.

51. Verùm eos eligi ad ministerium prohibet, qui quocunq; modo contra sextum Dei Præceptum peccant, ut non sint unius uxoris mariti.

52. Utpote si vivant in adulterio, si plures simul habeant uxores, si dimissâ vel repudiatâ uxore legitimâ (extra adulterii casum) aliam ducant, vel ab alio repudiatam sibi eligant.

53. Sed nec absolutè necessarium omnib. Ecclesię ministris conjugium esse præscribit, verùm liberũ conjugium ipsis relinquit, & Ministros uxoratos

T 5 legi-

legibus conjugii divinitùs ſancitis ſubjicit.

54. Peculiares virtutes, quas ab Eccleſiæ miniſtris Apoſtolus requirit, hæ ſunt, quòd debeant eſſe διδακτικοί, 1. Tim. 3. v. 2. dono docendi inſtructi. δυνατοὶ καὶ παρακαλεῖν ἐν τῇ διδασκαλίᾳ τῇ ὑγιαινούσῃ καὶ τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν, Tit. 1. v. 9.

55. Hæc de legitima ad Miniſterium vocatione: ſequitur fidelis ejuſdem adminiſtratio.

56. Per fidelem Miniſterii adminiſtrationem intelligimus omnia Eccleſiaſticæ διακονίας munia, exemplo Apoſtoli 1. Corinth. 4. verſ. 1. Sic nos æſtimet homo ut miniſtros Chriſti & diſpenſatores myſteriorum Dei, verſ. 2. jam verò hoc ſolùm requiritur in œconomo, ut fidelis inveniatur.

57. Fidelitas illa conſiſtit in eo, ut res Eccleſiæ à DEO commiſſæ ex præſcripto

scripto ejusdem administrentur.

58. Res Ecclesiæ aut doctrinam spectant, aut Sacramenta, aut denique disciplinam.

59. Officium ergò Ministrorum doctrinæ, Sacramentorum & disciplinæ legitimâ administratione continetur.

60. Doctrinæ administratio constat tùm veritatis assertione, tùm errorum refutatione.

61. Norma tàm διδασκαλίας, quàm ἐλέγχου est unicum Dei verbum, 2. Tim. 3. v. 16.

62. Ad doctrinam pertinet Scripturæ sacræ interpretatio, ejusdemque ad usum Ecclesiæ accommodatio.

63. In Sacramentorum administratione objectum & Modus spectanda.

64. Objecti nomine intelligimus providam illam curam, quâ Minister prospicere tenetur, quibus

Sacra-

Sacramenta administrari debeant, vel qui ab illis arcendi.

65. Atq; hæc præcipua causa est, propter quam privata Confessio & Absolutio in Ecclesiis nostris retinentur, nec tamen desunt aliæ itidem prægnantes.

66. Modi nomine intelligitur, ut juxta Christi præscriptum, quin & κατα ταξιν και ευσχημονως ea administrentur.

67. Disciplina Ecclesiastica occupatur tùm in corrigendis lapsibus, tùm in Ecclesiasticis judiciis exercendis.

68. Lapsus corrigendi sunt juxta gradus à Christo præscriptos, Matth. 18. v. 15.

69. Præcedat enim νουθεσια privata & publica, quæ si à manifesto peccatore contemnitur, succedat severa illa Ecclesiastici judicii administratio, in excommunicatione consistens.

70. Excommunicatio (pars clavium posterior) est vel minor vel major.

71. Minor

71. Minor eſt, quâ interdicitur peccatori ad tempus Cœnæ participatione.

72. Major eſt, quâ præeunte legitimâ cognitione contumax peccator ex Eccleſiæ ſocietate excluſus Satanæ traditur.

73. Illa dicitur ἀφορισμὸς, hæc ἀνάθεμα.

74. Utinam verò vincula diſciplinę Eccleſiaſticæ in hac effœta mundi ſenecta arctiùs conſtringerentur, quàm vulgò fieri videmus!

75. Poteſtas excommunicandi ad totam Eccleſiam pertinet, cujus nomine à Miniſterio peragitur.

76. Accedat ergò Eccleſiæ conſenſus expreſſus vel tacitus. Congregatis vobis (ait Apoſtolus 1. Cor. 5. v. 4.) & in eo Spiritu in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti conſtitui Satanæ tradere ejuſmodi hominem.

77. Ut in legitimam Miniſtrorum

voca-

vocationem, ita etiam in hanc disciplinæ Ecclesiasticæ administrationem injurius est Romanus Pontifex.

78. Derogat enim Magistratui & populo Christiano jus eligendi Ministros, idque solis Episcopis & potissimùm sibi vendicat.

79. Se Ecclesiæ Monarcham, Caput & Sponsum esse gloriatur.

80. Sed ex hac ipsa & compluribus aliis notis Antichristum ipsum esse deprehendimus.

81. Quascunq; enim notas Antichristo Scriptura tribuit, eas Pontifici Romano ad unum omnes competere, Historiarum & experientiæ documenta testantur.

82. In disciplinæ Ecclesiasticæ administrationem itidem multis modis peccat Romanus Papa.

83. Sibi enim soli vendicat summam potestatem excommunicandi, absolvendi, dispensandi, casus reservandi,

vandi, indulgentias, beneficia & ſimilia conferendi, leges proponendi, ſtatuendi, puniendi, Eccleſiaſticam Hierarchiam moderandi &c. Franc. Vargas de jurisd. Epiſc.

84. Hanc poteſtatem in ſeſe tanquam in fonte repoſitam, & à ſe ad Epiſcopos tanquam rivos derivari gloriatur.

85. Epiſcopis ſubjicit Presbyteros, eisque longè minorem jurisdictionis poteſtatem concedit.

86. Nos ordinem inter Eccleſiæ Miniſtros nec tollimus, nec confuſiones approbamus; interim eandem jurisdictionis poteſtatem omnibus Eccleſiæ Miniſtris competere dicimus.

87. Tempore Apoſtolorum eundem fuiſſe & Epiſcopum & Presbyrum oſtendit Hieron. in Tit. 1. & agnoſcit Mich. Medina lib. 1. de ſacror. homin. origin. & cont. cap. 5. in eadem ſententia eſſe Ambroſium,

broſium, Auguſtinum, Sedulium, Primaſium, Chryſoſtomum, Theodoredum, Oecumenium & Theophilactum.

88. Improbandum etiam hoc in Papali excommunicatione, quòd fulmen ejus vibrat in integras civitates, integras provincias, integra regna unius aut paucorum hominum causâ.

89. Nec propter atheiſmum vel alia flagitia excommunicationem exercet, ſed Hiſtoriis teſtibus, ex privato odio, levitate, ambitione & dominandi libidine ut plurimum ea procedit.

90. Confundit etiam hanc Eccleſiaſticam diſciplinam cum pœnis civilibus, ſiquidem Reges & Imperatores excommunicatos regno atq; Imperio exuit, ſubditos ab homagiis & juramentis ipſis præſtitis abſolvit, bona eorum in prædam omnibus proponit.

91. Quis deniq; finis ſit Papalis excommunicationis, de eo conſulantur

Hiſto-


Historiæ, præcipuè videatur Rodericus Zamorensis in speculo vitę humanæ lib. 2. cap. 3. Nicol. de Cleman. lib. de Ruin. & reparat. Eccles. quorum testimonium hac in parte verissimum est.

92. Fx his & similibus abusibus procul dubio factum, ut saluberrima illa disciplinæ Ecclesiasticæ pars hodiè ferè collapsa sit; causas alias vide omninò in Comment. D. Lutheri supra 3. Joël. tom. 4. Jen. f. 801. & seqq. Lege eas & perpende.

93. O Christe, qui extrudis operarios in messem tuam, venit hora ut metas, quoniam aruit messis terræ, & maturæ sunt uvæ ejus, Apoc. 14. v. 15. & 18.

Qui te amat, dicat veni

AMEN.



XXI. APHORISMI THEOLOGICI DE ORDINE POLITICO.

1. PRopter Filii intercessionem & meritum, generi humano non æterna solùm, sed & hujus vitæ bona, quibus utrisq; suâ ἀποστασίᾳ exciderat, à Deo sunt restituta.

2. Per Ministerium verbi colligit sibi Deus Ecclesiam, à qua rectè agnoscatur & celebretur, in cujus veris membris imaginem suam instauret, & æternam vitam inchoët.

3. Sed quia hæc Ecclesiæ collectio & imaginis divinæ instauratio fit in hac vita, ideò instituit Deus Ordinem Politicum, qui sit quasi septum quoddam Ecclesiæ.

4 Hoc enim fine Regibus & omnibus in sublimitate constitutis Deus Imperium concedit, ut quietam & tranquillam vitam sub ipsis agamus, in omni pietate & modestia, 1. Tim. 2. v. 2.

5. Ec-

5. Ecclesia colligitur ex genere humano: Genus humanum post lapsum miserè corruptum absque politico regimine constare nequit: utique ergò propter Ecclesiam etiam Politias instituì necessarium fuit.

6. Partes Ordinis Politici duæ sunt: Magistratus & subditi.

7. Magistratus regit; Subditi reguntur.

8. Magistratus est vel superior, vel inferior, 1. Petr. 2. v. 13. & 14. Subditi estote omni humanæ creaturæ, sive Regi, tanquam præcellenti, sive Ducibus, tanquam ab eo missis.

9. Magistratus superior pleno Imperio gaudet, inferior ita præest aliis, ut superiori subsit.

10. Uterq; est ordinatio divina, οὐ γὰρ ἔστιν ἐξουσία, εἰ μὴ ἀπὸ θεοῦ, Rom. 13. v. 1.

11. Utiq; ergò Magistratum gerere Christiano non est prohibitum.

12. Evangelium enim non abolet Po-

litias, nec divinæ ordinationes sese mutuò destruunt.

13. Vocat autem Deus ad Magistratum, vel mediatè vel immediatè.

14. Immediatæ vocationis exempla sunt in Mose, Davide &c. Illos enim suâ voce Deus ad regimen populi sui immediatè & extraordinarie vocavit.

15. Mediata vocatio potissimùm fit duobus modis, vel successione hæreditaria, vel hominum electione, ad hos modos reliqui referri possunt.

16. Qui mediatè vocantur ad Magistratum, non minùs quam illi, qui divinâ voce immediatè vocati sunt, pro divinitùs constitutis & concessis sunt habendi.

17. Quod enim Petrus eos vocat ἀνθρωπίνην κτίσιν, 1. Epist. 2. v. 13. id fit ideò, non quia est tantùm humana ordinatio: sed quia fit per homines; quia ex hominibus Magistratus constituitur, & quia ad usum humanæ societatis

tis ejus constitutio spectat.

18. Officium Magistratus spectatur vel in pace, vel in bello

19. Tempore pacis justitiam & judicium administret.

20. Nomine justitiæ intelligitur obœdientia externa utriq; Decalogi tabulæ debitam.

21. Sit enim Magistratus custos utriusq; tabulæ, quoad externam disciplinam.

22. Falsa & blasphema dogmata spargi, & potest & debet prohibere Magistratus; animarum seductores, præsertim seditiosos coërcere; Sabbati prophanationem prohibere.

23. Interim tamen in conscientias hominum, quarum Rex Deus est, Imperium sibi non sumat.

24. Ad falsam ergò religionem Magistratus subditos nec cogat, nec illi Magistratui cogenti obtemperent.

25. Quin nec ad veram religionem

vel poteſt vel debet cogere Magiſtratus:

26. Non illud, quia externam tantùm extorquendo profeſſionem, facit hypocritas: nõ hoc, quia religio ſpõtè ſuſcipi debet, non vi cogi.

27. Pulcrè Tertull. ad Scap. Religionis non eſt ad Religionem cogere:

28. Cui conſonat illud Maximil. II. Imperatoris laudatiſſimi: nulla intolerabilior Tyrannis, quàm dominari velle conſcientiis.

29. Ad juſtitiæ adminiſtrationem pertinet poteſtas ferendarum legum civilium, quæ ſint determinationes juris naturæ.

30. Neq; enim Chriſtianorum politiæ ad leges Moſaicas forenſes ſimpliciter ſunt alligatæ.

31. Ad eandem pertinent contractus, quos caritas & æquitas moderari debent: unde facilè colligitur, quid in quæſtione de uſuris ſit ſtatuendum.

32. Uſu-

32. Uſuras ſimpliciter Scriptura prohibet, ſed qui contractus ſint uſurarii ex fine legis, qui eſt caritas, ex deſcriptione prohibitionis & ex incorrupto prudentum judicio diſcendum.

33. Judicii nomine intelligimus defenſionem bonorum, & pœnam improborum, Rom. 13. v. 4.

34. Quo fine introducta ſunt judicia forenſia, in quibus fit cognitio cauſarum tùm civilium tùm criminalium.

35. Ergò in foro contendere, modò id fiat legitimè, Chriſtiano non eſt prohibitum.

36. Pœna, quàm Magiſtratus legum tranſgreſſoribus & ſocietatis humanæ turbatoribus infligit, debet correſpondere culpæ.

37. Neq; enim liberum eſt Magiſtratui delinquentibus, præſertim enormiter, pœnas omninò remittere.

38. Επιεικεια (æquitas) tamen quandoq; adhiberi debet, reſpectu habito ad delinquē-

tem & delictum ipsum.

39. Ut summum jus summa sæpè injuria: ita vicissim intempestiva indulgentia Legis & Magistratus autoritatem minuit.

40. Quæritur hîc de pœna hæreseos, furti & adulterii, an debeat esse capitalis.

41. Qui hæresin privatim tuetur, vel eandem etiam spargit absq; seditione, eum capitali supplicio afficiendum esse negamus.

42. Alios autem modos coërcendi hæresium disseminatores Magistratui relinquimus.

43. Pœnam simplicis furti, præsertim levioris, semper capitalem esse debere, durum dicimus.

44. Rigorem interim legum in fures, irruptores & furtum sępiùs iterantes non improbamus.

45. Adulterio ipsa Lex divina gladii pœnam adjudicat.

46. Bel-

46. Belli tempore Magiſtratus itidem ſui memor ſit officii, ut bellum legitimè geratur.

47. Neq; enim vel Magiſtratui indicere bellum, vel ſubditis illud gerere eſt prohibitum; modò ſit legitimum.

48. Legitimi belli conditiones ſunt, ut geratur autoritate ſuperiorum, ut cauſa ſit juſta, ut intentio ſit bona, Thom. 2. 2. q. 40.

49. Abſq; legitima indicentis autoritate ſi geratur, non bellum eſt, ſed latrocinium.

50. Cauſæ belli juſtæ tres ſunt, vel juſta defenſio, vel pœna juſta, vel legitima recuperatio.

51. Intentio finis convenientis itidem adſit; pacem habere debet voluntas, bellum neceſſitas: ideò bellum geratur, ut pax acquiratur. Aug. Epiſt. 205.

52. Ad rectam intentionem referimus

mus

mus etiam modum belli gerendi legitimum.

53. Pulcrè Aurelianus ad Tribunum militum: Si vis tribunus eſſe, ſi vis vivere, manus militum contine. Nemo pullum alienum rapiat, ovem nemo contingat, uvam nullus auferat, ſegetem nemo deterat, oleum, ſal, lignum nemo exigat, annonâ ſuâ contentus ſit: de præda hoſtis, non de lachrymis provincialium habeat.

54. Nec ſperari poteſt, feliciter res ſuas geſturos milites eos, qui maledictiones & lachrymas in abitu ſuo ſecum ad viaticum auferunt. Gregorius lib. 6. Hiſt. c. 12.

55. Contra hoſtem vires ſuas experiantur, cōtra quem etiam ſtratagemata militaria licita eſſe ſtatuimus.

56. Sed enim omnia priùs experiri, quàm arma capere Magiſtratū decet, nec niſi extremâ neceſſitate Reipub. id exigente ad bellum accedat; perinde ut Medici ad uſtiones & ſectiones.

57. Ut pecunia nostro arbitrio aleæ exposita illicò alieni fit juris, incertum cui sit cessura: ita Magistratus & tota ditio in sortem eventus conjicitur moto bello, Lud. Viv. in Epist. ad Henr. 8. Reg. Angl.

58. Ordinis Politici partem alteram constituunt Subditi, qui relatè magistratui opponuntur.

59. Sunt autem vel merè subditi, vel in partem potestatis recepti.

60. Subditi debent Magistratui honorem, timorem, fidelitatem, obœdientiam, tributa & preces.

61. Honor iste sit in corde, in ore & in externo opere.

62. Intueamur Magistratum tanquam Dei ordinationem, nec maledico ore ei detrahamus, nec externam reverentiam detractemus.

63. Obœdientiæ istius sunt certi limites: qui enim in partem potestatis recepti, illi crescenti potentiæ habenas

nas quaſi injicere poſſunt.

64. Quid quod etiam merè ſubditi non tenentur in omnibus Magiſtratui obœdire? nimirum ſi quid contra pietatem vel honeſtatem præcipiatur.

65. Regum timendorum in proprios greges, Reges in ipſos Imperium eſt Dei.

66. Ergò hac in parte timendo poteſtatem (Dei ſummi Monarchæ) contemne poteſtatem (Magiſtratus injuſta præcipientis.)

67. Si mandatur aliquid, quod grave ac durum, ferendum eſt: ſi mandatur aliquid, quod impium & iniquum, obœdientia deneganda eſt.

68. Tributa debentur Magiſtratui ratione laboris, ratione gubernationis & ratione defenſionis.

69. Debita tamen hîc adſit moderatio, quæ æſtimanda eſt ex ſubditorum facultate & Reipublicæ neceſſitate.

70, Quæritur hîc, an locus 1. Sam. 8. de

de jure vel de consuetudine agat? Distinctione res expediri potest inter reginimis necessitatem, & Regis voluptatem.

71. Preces itidem Magistratui deberi, expressè docet Apostolus 1. Tim 2. v. 2.

72. Pulcrè Bugenhagius: Si tàm prompti essemus ad preces pro Magistratu fundendas, quàm parati sumus ad detrahendum ipsis, næ res nostræ melius haberent.

73. Væ Principatui sepelienti dominos suos, dicunt Hebræorum Magistri referente R. Salom. Jario in Comment. Hos. 1.

74. Et sæpè refoditur à subditis post sua fata Antigonus.

75. Atq; hæc de ordine Politico dicta sint, reliquorum ἐργασία (opera) pertinet ad doctrinam politicam.

76. Deus qui stabilit regna, concedat Magistratui nostro Imperii tran-

quil-

quillitatem perennem, corporis & animæ salutem sempiternam, Amen.

XXII. APHORISMI THEOLOGICI DE CONJUGIO.

1. CONjugium est status à Deo ordinatus homine in concreata integritate adhuc persistente.

2. Honorabile ergò sit in omnibus, & cubile impollutum, Heb. 12. v. 4.

3. Nec tamen propriè & exquisitè, hoc est, eâ definitione, quæ Baptismo & sacræ Cœnæ competit, Sacramentum est.

4. Caret namq; externo & visibili elemento divinitùs instituto, & promissione gratiæ Evangelii propriæ.

5. Generatim tamen & latè acceptâ voce Sacramentum, hoc est, sacræ rei signum dici potest, Eph. 5. v. 32.

6. Propria sedes doctrinæ de Conjugio extat Gen. 2. v. 18. & seqq.

7. Ad quam revocans nos Christus

Matth.

Matth. 19. verſ. 5. quæſtionum matrimonialium λυσιν ex iſto loco ſumendam eſſe oſtendit.

8. Docetur ibi, conjugium eſſe duorum tantùm, unius ſcilicet maris & unius fœminæ legitimam & indiſſolubilem conjunctionem.

9. Adverſatur ergò Conjugio διγαμια ac πολυγαμία.

10. Δίγαμος eſt, non qui priore uxore demortuâ alteram ducit, ſed qui κατα ταυ]ον ſimul habet duas uxores, Chryſ. in 1. Tim. 3.

11. Nam nec ſecundæ, nec tertiæ, nec ulteriores nuptię ſunt à S.S. prohibitę, modò in Domino inſtituantur.

12. Cum priore conjuge demortuo eadem cauſa nubendi non commoriatur, ſed ſuperſtes ſæpiùs maneat.

13. Polygamiam Patrum in V. T. Deus toleravit, nuſpiam mandavit.

14. Toleravit autem, quia non effrenis

nis libidinis causâ, ſed Eccleſiam propagandi ſtudio, & promiſſionem de benedicto ſemine promovendi deſiderio πολύγαμοι erant.

15. Et ſic ipſorum malo Deus benè uſus eſt.

16. Ut legitima ſit conjugum copula, requiritur utriusque partis conſenſus.

17. Abſit igitur violentia, abſit error, præſertim talis, qui ſubſtantialia conjugii attingat.

18. Conſenſus verò iſte debet eſſe licitus, honeſtus, juſtus, liber, plenus ac ſincerus.

19. Nec tamen omnis error, matrimonii fidem datam reſcindi permittit.

20. Nec ob quemcunq; defectum conditionis in conſenſu ſponſalia reſcindi debent.

21. Porrò conſenſus contrahentium abſq; parentum conſenſu inefficax eſt atq; invalidus.

22. Il-

22. Illum ergò non minùs quàm contrahentium non honestatis solummodò causâ, sed necessitatis jure requiri dicimus.

23. Secuti juris divini, naturalis & civilis autoritatem.

24. Quam & Canones quidam juris Pontificii præsertim vetustiores approbant.

25. Si parentes officii sui parùm memores fuerint, vel potestate patriâ abuti velint, Magistratus in locum parentum succedat.

26. Ad legitimam conjunctionem requiritur etiam istud, ne cognationis gradus violentur.

27. Quibus autem liceat maritali vinculo copulari, expressâ limitatione graduum tàm consanguinitatis, quàm affinitatis, Levit. 18. & 20. docetur.

28. Quos textus non tantùm de per-

ſonis, ſed etiam de gradibus accipiendos eſſe dicimus.

29. Atq; iſtas Conſtitutiones eſſe juris Naturæ diſertè affirmamus.

30. Diſpenſatio ergò in eis locum non habet.

31. Divinis hiſce legibus bono ac utili conſilio majoris reverentiæ ergò additæ ſunt à piis Magiſtratibus prohibitiones uſq; ad tertium gradum lineæ inæqualis.

32. Quas itidem obſervandas eſſe ſtatuimus, interim probabili de cauſa eas relaxari permittimus.

33. Providendum tamen ſeriò, ne diſpenſatio fiat diſſipatio.

34. In computatione graduum ſequimur Canonum diſpoſitionem.

35. Non quòd Pontificii juris legibus nos obſtrictos agnoſcamus, ſed quia hac in parte ſanum eſt & æquum.

36. Id in recta linea tradit hanc regulam:

gulam: Quot ſunt perſonæ, tot ſunt gradus, unâ demtâ.

37. In linea collaterali æquali hæc traditur regula: Quot gradibus una perſona diſtat à ſtipite, tot gradibus etiam ab altera diſtat.

38. In linea collaterali inæquali quoto gradu remotior perſona diſtat à ſtipite, toto etiam ab altera diſtat.

39. Affinitatis quoq; veneratione à quorundam nuptiis abſtinendum.

40. Sed affinitas illa, quæ matrimonium impedit, non latè vagatur.

41. Nam inter cognatos mariti & inter cognatos uxoris non eſt talis affinitas, quæ matrimonium impediat.

42. Sed inter uxorem & cognatos mariti; & inter maritum ac cognatos uxoris eſt affinitas matrimonium impediens.

43. Ergò juxta legum omnium conſtitutiones in linea recta prohibitio ſe extendit in infinitum.

44. In linea collaterali legibus provincialibus prohibitio extenditur usq; ad tertium gradum lineæ inæqualis (inclusivè)

45. Ac respicit non solùm cognationem, sed & affinitatem.

46. Rectissimè autem monet JCtus: In conjunctione matrimoniali non tantùm quid liceat, sed etiam quid honestum sit, spectandum esse.

47. Finis conjugii principalis est propagatio generis humani, & per consequens etiam Ecclesiæ.

48. Minùs principales sunt, fidele adjutorium, & Christi ac Ecclesiæ typus.

49. Accidentarius finis est vitatio scortationis.

50. Quod enim ante lapsum institutum ad officium, post lapsum cessit etiam in remedium.

51. Matrimonium constituendum nō sine ratione antecedunt Sponsalia.

52. Quæ

52. Quæ ſunt futurarum nuptiarum promiſſio.

53. Poſſunt ea propter cauſas quaſdam reſcindi, quarum dijudicatio pertinet ad viros pios, eruditos ac prudentes in Conſiſtoriis.

54. In genere dicimus propter plures cauſas repudia, quàm divortia fieri poſſe.

55. Multa enim impediunt matrimonium contrahendum, quæ non dirimunt contractum.

56. Matrimonium ſolvitur morte & adulterio.

57. Per adulterium ipſum conjugii vinculum ſolvitur, ita ut parti innocenti liceat ad ſecunda vota tranſire.

58. Non poſſe adulteram retineri, putat Hieronymus: non poſſe dimitti exiſtimat Auguſtinus; incedimus nos viâ mediâ.

59. Malitioſo deſertore diſcedente,

te, Magiſtratus parti innocenti rectè conſulit.

60. Interim tamen excluſiva Chriſti aliam divortii cauſam, quam adulterium non permittit.

61. Statutum exceptivè loquens non extenditur ad cauſas alios. Bald. l. 28. C. de adult.

62. Inhabilitas corporis ad uſum matrimonii divortium non facit, ſed nullum præceſſiſſe matrimonium arguit.

63. Argumento eſt, quod inhabilitas ſuperveniens poſt nuptias, divortium non admittit.

64. Idem eſto judicium de errore in ſubſtantialibus.

65. Violentia æquiparatur deſertioni.

66. Propter hæreſin matrimonium eſſe diſſolvendum non concedimus.

67. Conjugio ſubordinatur virginitas, cùm in utroq; ſtatu ſit Deo placens caſtitas.

68. Vir-

68. Virginitatem Apoſtolus conjugio præfert, videlicet in perſonis idoneis continentiæ dono inſtructis, & κατά τι propter conjugii moleſtias & temporum circumſtantias.

69. Jugum virginitatis nemini invito imponendum eſt, cùm non omnes ſint ejus capaces.

70. Conjugium ergò omnibus liberum; illis qui uruntur, etiam neceſſarium.

71. Si Spiritus ſpontaneus te virginem facit, verè virgo es, nec opus erit voto vel coactione.

72. Si coactè virgo es, coram Deo non es virgo, nec proderit votum.

73. Virginitas corporis abſq; virginitate mentis hypocritica eſt.

74. Quæ non eſt conjugio pio ac caſto cõferenda, ſed longè poſtponenda.

75. Nihil prodeſt corpus ſervare impollutum, ſi animus æſtuet intùs libidinum urentibus flammis.

76. Quid prodeſt caro integra, mente corruptâ?

77. At quotus quisq; illorum, qui vovent virginitatem, corpus omnimodè impollutum ſervat!

78. Longè pauciores ſunt, qui animum habent ab uſtionibus liberum.

79. Paulus tantus Apoſtolus legem hîc ferre aut laqueum injicere cuipiam noluit.

80. Utinam ergò, qui continere non valent, cœlibatui dare nomina vereantur, ſumtuoſa enim turris eſt & verbum grande, quod non omnes capere poſſunt! Bernh. ſerm. ad Cleric.

81. Mulierem ignoro & virgo non ſum. Citat ex Baſilio Caſſianus lib. 6. de Spir. fornic.

82. Bonus benè utitur conjugio, malus nec conjugio, nec virginitate rectè utitur.

83. Chriſtus Eccleſiæ Sponſus piis con-

conjugibus adſit, & ad cœleſtes nuptias nos omnes olim transferat.

XXIII. APHORISMI THEOLOGICI DE QVATUOR HOMINIS NOVISSIMIS.

1. Eccleſiæ in terra militantis conſtitutionem vidimus; reſtat, ut ad Eccleſiæ in cœlo triumphantis conſiderationem animos noſtros elevemus.

2. Tranſitus piorum ex militante Eccleſia ad Triumphantem, fit per Mortem, quam propterea Gregorius Nyſſenus in Orat. de morte ſcitiſſimè comparat obſtetrici ad vitam verè ſic dictam nos promoventi.

3. Mortem ſequitur judicium, cujus anteambulo eſt univerſalis omnium hominum reſurrectio. Statutum eſt hominibus ſemel mori, poſt hoc autem judicium, Heb. 9. v. 27.

4. Qui bona fecerunt, procedent in resurrectionem vitæ: qui verò mala fecerunt, in resurrectionem judicii, Joh. 5. vers. 29.

5. Quatuor igitur sunt hominis novissima, quorum consideratio nunquam excidat nostrâ memoriâ: Mors, Resurrectio, Judicium & Mora sive habitatio sempiterna, piorum in cœlo, damnatorum in inferno.

6. Mortis nomine hîc intelligimus, non miserias illas vitæ hujus mortalis perpetuas, 1. Corinth. 15. v. 31. nec mortem illam animæ in delictis, Ephes. 2. vers. 5. nec beatam illam mortem, quâ mortui peccato, hoc est, à dominio & damnatione ejus liberati vivimus Deo, Rom. 6. vers. 2. Nec æternam illam, sive secundam mortem damnatorum: Apo. 2. v. 11.

7. Sed corporis mortem, quæ est separatio animæ à corpore, vitæ animalis privatio & microcosmi transitus.

8. Qui

8. Qui moritur vitiis, antequam moritur, (corpore) non moritur æternâ morte, quando moritur (corporis morte) Sphinx Phil. c. 36.

9. Per peccati portam mors in mundum irtravit, atq; ita in omnes homines pertransiit, Rom. 5. v. 12.

10. Quæ non est animæ in nihilum redactio, sed ex corporis domicilio egressio. Anima occidi nequit, Matth. 10. vers. 28.

11. Receptacula animarum à corporibus per mortem separatarum duo tantùm commemorat Scriptura, unum piorum, alterum impiorum.

12. Valeat ergò purgatorium, valeat ψυχοπαννυχία, valeat μετεμψύχωσις Pythagorica, valeant animarum apparitiones.

12. Nec ullus est medius locus, ubi non sit in supplicio, qui non fuerit constitutus in regno; ut possit esse nisi cum Diabolo, qui non

fuerit

fuerit cum Chriſto. Auguſt. de pecc. mor. & remiſſ. c. 2.

14. Reſurrectionem univerſalem præcedet macrocoſmi tranſitus, ſequetur univerſale judicium.

15. Veteres pleriq; exiſtimant mundum tranſiturum qualitatum immutatione, non autem ſubſtantiali abolitione.

16. Scriptura verbis utitur valdè emphaticis. Cœlum & terra peribunt, tranſibunt, παρελεύσονται, ita fugient, ut locus eis non inveniatur &c.

17. Clavis ſepulchrorum noſtrorum, ac noſtræ reſurrectionis arrhabo, eſt Chriſti capitis noſtri reſurrectio.

18. Reſurrectionem illam corporum noſtrorum confirmant manifeſta ac ſæpiùs repetita Spiritus ſancti oracula.

19. Præludia ejus ſunt particularia illa reſuſcitatorum in Veteri ac Novo

Teſta-

Teſtamento exempla, quos futuræ immortalitatis Candidatos appellat Tertullianus.

20. Homo & corpore & animâ ad immortalitatem olim creatus; corpus noſtrum in bonis vel malis operibus animæ organum eſt; corpus piorum eſt Spiritus ſancti templum, etiam corpora noſtra vivifico Chriſti corpore & ſanguine aluntur, quomodo ergò in ſepulchro perpetim manebunt?

21. Reſuſcitationis autor eſt DEUS; τελειωτης Chriſtus, in & cum aſſumpta humana natura.

22. Reſurget non ſolùm omnis caro, ſed & eadem, quæ cecidit caro.

23. Reſuſcitationi mortuorum analoga eſt immutatio momentanea eorum, quos vivos dies extrema deprehendet.

24. Nec ſuſcitabit tantùm Chriſtus, ſed & judicabit, quippe omne judicium

cium

cium Pater ei tradidit, Johan. 5. verſ. 27.

25. In illa Natura Chriſtus apparebit ad judicium, quam ſibi per incarnationem univit. Ipſa erit Judex, quæ ſub judice ſtetit, ipſa judicabit, quæ judicata eſt.

26. Judicium hoc univerſale exigunt Dei veritas & juſtitia.

27. Exactam formam, modum & proceſſum judicii magis tum docebit rerum experientia, quàm nunc poſſit perfectè conſequi hominum intelligentia.

28. Suſpiremus in illa die liberari à verbo aſpero; audiamus vocem invitantis, ut olim audiamus vocem conſolantis.

29. Sententia lata executioni ſtatim dabitur. Ibunt, qui à dextris Judicis conſtituti, in vitam æternam, qui à ſiniſtris, projicientur in ignem æternum, Matth. 25. v. 26.

30. Fe-

30. Felicitas æternæ vitæ complectitur στέρησιν τῶν κακῶν καὶ θέσιν τῶν εὐεργετημάτων, erit tibi absentia omnis mali & perfruitio omnis boni.

31. Liberabimur à peccato, liberabimur ab omnibus pœnis peccati.

32. Corpus nostrum σύμμορφον erit corpori Christi, Philip. 3. v. 21. salvo tamen gloriæ discrimine.

33. DEUM sine fine videbimus, sine fastidio amabimus, sine defatigatione laudabimus. August. 22. de Civitat. Dei c. 30.

34. Fidei succedet visio, spei perfecta fruitio, caritatis erit perfectissima consummatio.

35. Erit Deus plenitudo luminis intellectui, multitudo pacis voluntati, continuatio æternitatis memoriæ nostræ. Bernhard. serm. 11. super Cant. Col. 519.

36. Lætabuntur Sancti propter loci amœnitatē, quam possidebunt; propter jucun-

jucundam ſocietatem, in qua regnabunt; propter corporis glorificationem, quam habebunt, propter mundum, quem contemſerunt; propter infernum, quem evaſerunt. Bonvent. in Diœt. c. 50.

37. Suſpiremus ergò ad vitam illam, cujus Rex Trinitas, Lex caritas, modus æternitas.

38. Nec eſſe noſtrum; mortem, nec noſſe, errorem, nec amare habebit offenſionem. Sph. Phil. pag. 5.

39. Videbimus DEUM a facie ad faciem αὐτοπροσώπως, audiemus eum ἀυτοφώνως. propria voce

40. Erit omnium Electorum ſapientia ſumma, juſtitia perfecta, lætitia æterna, glorificatio δοξολογία ſempiterna.

41. Una ſalus communis erit, ſed gloria diſpar.

42. Non aſcendit in cor hominis, qualem gloriam præparaverit DEUS ſuis electis, 1. Corinth. 2. v. 9. quantò

minùs

minùs verbis istius gloriæ conditionem assequemur?

43. Vitæ beatorum æternæ opponitur mors damnatorum æterna, mors secunda in Apocalypsi dicta.

44. Vita damnatorum erit mortifera & mors immortalis: si vita est, cur occidit? si mors, quomodo semper durat?

45. Ita vivent damnati, ut semper moriantur: ita morientur, ut semper vivant. Bernhard. in med. devot. cap. 3. col. 193.

46. In carne cruciabuntur per ignem, in anima per conscientiæ vermem. Ibid.

47. Æternitas pœnarum est, quæ ultra omnem modum damnatorum supplicia accumulat.

48. Etenim sine fine cruciandum esse, ultra omnes desperationis terminos fertur. Isidor. Clar. Orat. 12.

49. Gravis eſt damnatorum pœna propter tormenti acerbitatem, gravior propter ſuppliciorum diverſitatem, graviſſima propter ſuppliciorum æternitatem. Dionyſ. in 18. Apocal. f. 301.

50. Cauſa erit ipſis janua, Matth. 25. verſ. 10. janua ſcilicet indulgentiæ, janua miſericordiæ, janua ſpei, janua conſolationis, & janua bonæ operationis.

51. Alienatum eſſe ab intuitu Dei omnes gehennæ pœnas ſuperabit.

52. Oppreſſi pœnarum iſtarum pondere ἀνυπαρξίαν optabunt, ſed fruſtrà: deſiderabunt mori, ſed mors fugiet ab eis, Apoc. 9. v. 6.

53. Præ impatientia cordis rugient, frement & dentibus ſtridebunt: erit ibi fletus ex dolore, ſtridor dentium ex furore. Bernhard. ſerm. 8. in Pſal. 91.

54. Quo-

54. Quorum omnium προποτισμὸς quibuſdam in hac vita obtingit.

55. Diabolorum ſocietas & loci qualitas non mediocriter augent damnatorum pœnas.

56. Nec solùm æternæ erunt damnatorum pœnæ, ſed nec interruptæ. Apoc. 14. v. 11.

57. Quemadmodum autem in cœlo alius alio glorioſior, ita in inferno alius alio miſerior. Auguſtin. in Enchirid. cap. 3.

58. Ubi ſit infernus, curiosè quæritur: quomodo pœnas ejus effugere poſſimus, utiliùs cogitatur.

59. Atq; utinam cum cœnatur, aut prandetur: cùm è lecto ſurgitur, aut cubitum itur, ſemper apud nos gehennæ mentio fiat!

60. Neq; enim ſinet in gehennam incidere, gehennæ meminiſſe. Chryſoſt. hom. 44. in Matth.

61. Num ſi de gehenna tacueris,

hinc illam extinxisti: aut incendisti, si de ea locutus fueris? sive locutus fueris de illa, sive minùs, fervebit omninò incendium. Idem homil. 2. in 2. Thessal.

62. Ab æterna morte liberet nos, qui pro nobis mortuus: ad vitam æternam perducat nos, qui vitæ Dux est in secula benedictus.

FINIS.



JENÆ



TYPIS ET SUMTIBUS
TOBIÆ STEINMANNI,

Anno 1611.